Saml Merriman M.D.

1 Schwartz de Uteri Degeneratione — 1799
2 Roose de Vesica Prolapsu — 1793
3 Fries de Usu Forcipis — 1771.

The two last were given to me by Dr. Bland.

Ch 1. 39




Saml Merriman M.D.

COMMENTATIO

DE

# VTERI DEGENERATIONE.

AVCTORE

A. SCHWARZ M. Dr.

BIBLIOTH. COLL. REG. MED. ED.

ACCEDVNT TABVLAE II. AENEAE.

HANNOVERAE,

APVD FRATRES HAHN.

1799.

RL0359

# PROOEMIVM.

Obſeruatio in cadaueribus foeminarum binarum, quae, ſectione a me ipſo peracta, obtulit mihi degenerationes vteri inſolitas atque deſcriptione, effigie illuſtranda, haud indignas, anſam huic commentationi praebuit.

Antequam autem ad obſeruationes iſtas deſcribendas transeam, addere quaedam de ortu, cauſis, et effectibus eiusmodi degenerationum non ſuperuacaneum videtur, cum exinde actiones graues et noxiae, quas variis rationibus in corporis muliebris oeconomiam exſerunt, melius diiudicari queant.

D E

# VTERI DEGENERATIONE.

§. 1.

Vterus, organum tanta arte conſtructum, tot partibus conflatum, functionibus grauiſſimis deſtinatum, in morbis foeminarum partes tantum non primas procul dubio agit.

§. 2.

Variae mutationes, quibus ſecundum naturae leges primo fluxu menſium inchoante, dein grauiditate et partu ſuperueniente, tandem fluxu menſium ceſſante obnoxius eſt, ſatis demonſtrant, quantum actioni potentiarum nocentium ſubiectus ſit, eoque multas degenerationes morboſas in ſe recipere poſſit.

§. 3.

Mutationes naturales ita iam innotuerunt, vt de illis mentionem vlterius hoc loco iniicere haud neceſſarium ſit: verum morboſae illae eo magis adtentione dignae videntur, quo minus ad ipſas noſtris temporibus reſpicitur, et quo maiorem in deneganda actione, quam ſaepiſſime in corpus muliebre exſerunt, operam vir, fama inter nos conſpicuus, noviſſimis temporibus poſuit.

§. 4.

§. 4.

Affectiones morboſas in vterum cadentes ad vnam omnes enumerando arctos commentationis limites longe transgrederer, ſufficiet ad finem propoſitum, praecipuas illarum exponere, et vim, qua ad laedendum corporis ſtatum pollent, breuibus oſtendere.

§. 5.

Ad grauiſſimas vteri degenerationes, aut, pro effectu morborum primitiuorum v. g. inflammationis, aut inter proprios et primitiuos morbos, de quibus hoc loco potiſſimum agetur, numerandas, pertinent:

I. Indurationes et, qui perperam vocantur, ſcirrhi vteri *).

II. Excreſcentiae, ſarcomata atque oſteoſteatomata.

§. 6.

In exponendis poſterioribus (II.) parum hucusque illuſtratis, quorum nonnulla, notatu digniſſima, obſeruare mihi contigit, me continerem, cum re vera, tabulis adiectis efficta, principale huius diſſertationis obiectum conſtituant: niſi viſum mihi fuerit, propter affinitatem et mutuam illuſtrationem e re eſſe, indurationum mentionem adiicere, quae, medicis ſaepe non rite cognitae, ob indolem ſuam chronicam, ad vteri, eiusque functionum integritatem tantum faciunt.

*) Arneman Chirurgie Sectio XX. de ſcirrho, diſcrimen inter ſcirrhum et indurationem eſſentiale definiens, erroribus, ex illo neglecto, manantibus obuiam ire primus cum ſucceſſu ſtuduit.

## Sectio I.

## DE INDVRATIONE VTERI.

§. 7.

Sunt mihi indurationes, qui vulgo ſcirrhi non bene vocantur. Quaecunque igitur, vel in ſequentibus, vel in ſcriptis aliorum, hoc nomine veniant, pro indurationibus ſemper habenda erunt: cum nimirum vterus non ſit viſcus glandulosum, in quibus ſolis ſcirrhus oriri poſſit.

§. 8.

Indurationes interdum vnicam vteri partem, velut orificium, ceruicem, corpus, fundum; interdum ouaria atque tubas afficiunt; quandoque plura iſtorum, nonnunquam omnis vterus indurata reperiuntur.

§. 9.

Saepe ſolae apparent, non raro autem cum aliis degenerationibus, excreſcentiis, ſarcomatibus etc. iunctae inueniuntur.

*Diagnoſis.*

§. 10.

Haec nonniſi ex veriſimilitate et iuſta momentorum, a quibus oriri poſſint, cognitione, quamuis non ſine multa difficultate, definiri poteſt, excepto caſu, quo induratio magnam vteri partem, aut vterum vniuerſum, ingreſſa, aut aliis cum degenerationibus complicata fuerit: tunc enim exploratio,

tio, proprius aegrotae ſenſus, et multifaria ſymptomata eminentia indicationi ſufficiunt.

§. 11.

Roedererō *) ſic viſum eſt:

"Pondus, inquit, in peluim deſcendere patientes conque-
„runtur, aliquid peregrini delabi obſeruant, maxime, cum
„erecto corpore incedunt, minus, cum ſupinae cubant.
„Corpus vteri et orificium praeter morem duriora tangun-
„tur, inaequale praeterea tangitur aſperius craſſiusque ori-
„ficium etc.".

*D e c u r ſ u s.*

§. 12.

Decurſus morbi pari difficultate definitur, cum initio ſymptomata adeo fallacia et parum ſignificantia ſint, vt raro medicus adhibeatur, accedente in diagnoſi ipſa tanta incertitudine.

§. 13.

Quodſi pars tantum vteri indurata fuerit, haec per annos, quin immo per totam aegrotarum vitam, in ſtatu iſto perſeuerare poteſt; inprimis ſi corporis conſtitutione ceteroquin ſana gaudeant, et omnia, quae morbum deteriorem grauioremue reddere queant, ſedulo vitare conentur.

§. 14.

Sin autem omnis vterus induratus fuerit, accedentibus ſimul degenerationibus aliis, per functiones vteri impeditas

 et

*) I. G. Roederer academica diſſertatio de vteri ſcirrho, Gott. 1755.

et reliqua ſymptomata ſuperuenientia non ſolum bona valetudo deſtruitur, verum vitae etiam ſines contrahuntur.

### *Cauſa.*

§. 15.

Cauſae, vt vulgo notum eſt, in praediſponentes, occaſionales et proximam diſtingui ſolent. Quam parum accurate hoc ſiat, et quot litibus vanis occaſionem dederit V. cel. Röschlavb *) luculenter expoſuit.

§. 16.

Sic ille: cauſa eſt ratio *ſufficiens* ex qua ens quoddam definitam exiſtentiam trahit. Verum praeter *vnam* rationem ſufficientem pluribus locus non datur, nec igitur plures *vna* morbi cauſa cogitari poſſunt, licet momenta complura (cauſae vulgo male vocata) ad formandam cauſam ipſam concurrere debeant. Cauſae, quas dicunt praediſponentes atque occaſionales non pro vera morbi cauſa, ſed huius momentis habendae, non rationem illius ſufficientem, ſed partem eius tantummodo continent.

§. 17.

Praediſpoſitione hoc ſolum efficitur, vt potentiis nocentibus occaſionalibus locus ad generandos morbos paretur, nec tales efficere poſſunt praediſpoſitionis auxilio deſtitutae: neutrum igitur, per ſe ſpectatum, rationem ſufficientem continet.

§. 18.

*) Röschlavb *Magazin der Heilkunde.* T. II. St. 1. Frf. a. M. 1799.

§. 18.

Momentum *primum* ad conſtituendam morbi cauſam concurrens, praediſpoſitio, (alioquin cauſa praediſponens) eſt vteri aſthenia, et quidquid illam producere poteſt, in ſpecie:

1. Affectus debilitantes, moeror; triſtitia; amor ſpe fruſtratus, qui fortaſſe ad vterum debilitandum vim propriam habet.
2. Haemorrhagiae vteri violentae, fluor albus chronicus, crebra puerperia.
3. Nimiae vteri expanſiones per gemellos etc.
4. In virginibus forſan coitus denegatus (incitamentum tempore pubertatis neceſſarium) ad aſtheniam efficiendam confert. Fieri quoque poſſet, vt eadem ratione, qua in aliis organis ſaepe accidit, vterus functiones ſuas exſerere prohibitus, degeneretur. In genere virgines aetate prouectas ad ſcirrhos mammarum, adeoque ad indurationes vteri prae ceteris propenſas inuenies, intercedente inter vtraque conſenſu arctiſſimo.
5. Anne in vetulis, in quibus ceſſatio fluxus menſium ſingulari effectu gaudet, ex priuatione incitamenti ſoliti idem naſci poſſet?
6. Diſpoſitio hereditaria. Eſt apud Boettgervm *) obſeruatio ſarcomatis vteri, a promatertera ad matrem et filiam transmiſſa.

§. 19.

Momentum *alterum*, ad efficiendam indurationis cauſam neceſſarium, continetur potentiis nocentibus, ſiue cauſis occaſionalibus vulgo ſic dictis.

§. 20.

*) Boetiger vide infra Sect. II. §. 19.

§. 20.

In induratione vteri *vnica* tantum potentia nocens occaſionalis, inflammatio nimirum, locum habere videtur, quae neque reſoluta eſt, neque in ſuppurationem abiit, ſed in chronicam verſa inuenitur.

§. 21.

Qua in re procul dubio plurimis caſibus peruerſae morbi tractationi culpa danda, medicis ſaepe inflammationis aſthenicae tenorem nec agnoſcentibus, neque ab ſthenica inflammatione ſatis accurate diſtinguentibus, ſine diſcrimine methodo antiphlogiſtica in quauis inflammatione adhibita.

§. 22.

Quodſi igitur inflammatio, vt plurimum, aſthenica fuerit, effectus eiusmodi tractationis facile perſpicitur. Inflammatio chronica per illam euadit et propter debilitatem partium directam, exinde coortam, aucta incitabilitate, leuiſſimo impulſu euocata ſtatim reuertitur.

§. 23.

Crebri hoc reditu, non mutata ſimul tractatione, partes adeo aſthenicae euadunt, vt ſenſim pedetentimque tonum penitus amittant; priuantur vaſa vi ſe contrahendi atque humores debito modo propellendi; ac tandem aſthenia vaſorum, incitamento humorum permeantium deſtitutorum ad id faſtigium exſurgit, vt, abſoluta humorum ſtagnatione, orta inflammatio in indurationem transeat.

§. 24.

§. 24.

Quae, quo latius graſſatur, quo minus partibus debita nutrimenta affluunt, quo vitioſior actio vis vitalis euadit, eo facilius degenerationes vteri vlteriores naſcuntur, hisque complicationibus morbus, et quae inde originem trahunt, non ſolum in deterius mutantur, ſed ſpes ipſa medelae eripitur.

§. 25.

Quamuis inflammatio vteri in indurationem conuerſa, plurimis caſibus aſthenica ſit, fieri tamen aliquando poſſet, vt inflammatio ſthenica, per nimiam incitationem in debilitatem indirectam transgreſſa, indurationem efficiat, etſi hoc raro accidere videatur.

§. 26.

Inflammatio vteri variis momentis modo directe, modo per conſenſum in ipſum agentibus, excitari poteſt.

§. 27.

Ad principalia referenda ſunt incitamenta, quae vterum in ſpecie afficiunt, nec tamen illa propter ſtatum aſthenicum tanta vi vnquam agunt, vt ſuppuratione excipiantur. Etſi enim adſit in loco quodam ſuppurationis initium, deeſt ad illam propagandam vis interna, qua re humorum ſtagnatio oritur, et ſecretione puris inhibita, ſequitur induratio.

§. 28.

Huc inprimis pertinent:

1. Tractatio rudis in partu *); laeſiones vteri **), per operationes prauas, manibus aut inſtrumentis perfectas.

2. Partus difficiles in genere, inprimis contractiones vehementes et longinquae, quas in paragomphoſi capitis vterus exſerit.

3) Neglecta prolapſus vteri repoſitio.

4. Ictus; lapſus; impulſus grauis, ſiue preſſio violenta in abdomen.

5. Vſus remediorum violenter excitantium inprimis diureticorum; omne genus abortiuorum ***), vt vocantur.

Putat Michaelis †) in obſeruatione quadam ipſi oblata, nimium ſpiritus vini vſum indurationem hepatis atque vteri generaſſe.

6. Iniectiones in vterum violentae, et vehementer excitantes.

7. Vſus externus remediorum adſtringentium ad inhibendam vteri haemorrhagiam ††).

8. Inflammatio partium in vicinitate vteri.

9. Suppreſſio ſubitanea fluxus menſium et lochiorum ſeu haemorrhagiae vteri †††). Berger ††††) ait: *cauſa tumo-*

*„rum*

*) Mavriceav maladies des femmes groſſes T. II. Obſ. 387. et 418.

**) Berger Diſſert de vteri morbis Wittb. 1709.

***) von Sanden vide infra Sect. II. §. 18.

†) Michaelis *medic. pract. Bibl. Gött. 785. T. I. St. 2. Anh. p. 221.*

††) A. Haller diſputat. chirurg. ſelectae T. III. diſſert. 89. de vteri ſarcomate.

†††) Haller l. c.

††††) Berger l. c.

„*rum ſcirrhoſorum vteri eſt menſium et lochiorum obſtru-*
„*ctio*".

10. Incitamenta morboſa varii generis, inprimis arthritis, et lues venerea. Vtraque veriſimiliter inflammationem chronicam, et ſic, indurationem efficiunt.

De poſtrema exemplum memorabile apud Roedererum *) occurrit.

11. Non dubitandum eſt, mammarum morbos etiam hic actiones ſuas exſerere. Quid? quod metaſtaſis lactis interdum inflammationem vteri producere poſſit?

§. 29.

Cauſa (proxima) ſiue vtriusque momenti (praediſpoſitionis et potentiae nocentis occaſionalis) concurſus, id eſt morbus ipſe, continetur mutatione organiſationis in hac vel illa vteri parte, qua eius ſtructura, amiſſo ſtatu naturali, functionibus ipſi incumbentibus perficiendis, magis minusue impar redditur.

*Effectus.*

§. 30.

Indurationis vteri effectus numeroſi ſunt, ac diuerſiſſimi, enumerationi eorum ſuperſedere non poſſumus, cum vel ex iis ipſis morbus ſaepius probe innoteſcat.

§. 31.

Antea autem memoratum iamiam V. C. Sellii *) omnes effectus prorſus inficiantis, placitum refutandum videtur.

 Sunt

*) Röderer l. c. p. 22. ſeqq.

**) Selle *neue Beyträge zur Natur-und Arzneiwiſſenſchaft. Berlin 783.* T. II. p. 28. ſqq.

Sunt eius verba:

"Indurationes vteri non pro cauſa vnica moleſtiarum „ſimultanearum, ſed potius pro cauſae alterius eiusque „generalioris effectu coordinato, habenda ſunt: vt igi-„tur induratio vteri ſcirrhoſa, modo non in cancrum, „aut aliud quoddam vlcus malignum, et ad conſum-„tionem perducens migraret, atque ſic, ſi quid tale ac-„cidere poſſet, in ſe ipſa contineretur, forſan effectus „morboſos nullos adſtrueret, adeoque omnium malo-„rum, quae vitiis, ſi quae fuerint, vteri, culpae dari „ſolent, reus vterus ipſe non habendus ſit **).

§. 32.

Parum conſentienter cum obſeruationibus complurium celeberrimorum virorum auctor, ad muniendam experientia ſenten-

*) "*Verhärtungen der Gebärmutter ſind nicht ſowol als die alleinige Urſa-„che der zugleich vorhandenen Beſchwerden, ſondern vielmehr als Neben-„folge einer andern allgemeinen Urſache anzuſehen, und wenn es möglich „wäre, daß eine ſcirrhöſe Verhärtung der Gebärmutter nicht in Krebs „oder in ein bösartiges und die Auszehrung veranlaſſendes Geſchwür ü-„bergienge und ſo für ſich beſteken könnte, ſie vielleicht weiter keine Be-„ſchwerden veranlaſſen würde, und alſo der Vterus an und für ſich um „ſo mehr von allen Uebeln frei zu ſprechen wäre, die man gewöhnlich den „etwanigen Fehlern deſſelben zuſchreibt*".

**) In fine monet: "hoc de iis tantum valere, quorum fluxus menſtruus „iamiam ceſſauerit, ceteroquin enim poſſe, ex iſtius ſuppreſſione ſola, „plura mala enaſci".

Hoc ipſo iam concedit, ex induratione vteri effectus morboſos exſurgere poſſe; quod, ſi in menſtruatis eueniat, non video, qua ratione in menſtruatione priuatis denegare velit, cum etiam in his effectus, a turbatis vteri functionibus, pendentes, licet non omnes, ſtatuendi ſint.

ſententiam, binas, quae ipſi contigerint, obſeruationes affert, quae vero ad argumentum propoſitum minus pertinere, nec demonſtrationi ſufficere videntur.

§. 33.

In obſeruatione prima margines ſolum, et in altera, particula quaedam orificii vteri, tantum non omnis conſumti, (cuius rei cauſam non addidit) induratas et calloſas inuenit. Indurationes has exiguas cum illis, quae vniuerſum vterum afficiunt, comparari non poſſe, facile perſpicitur, nec ſane patet, qua ratione auctor ad concluſionem peruenerit, fore, vt ex indurationibus vteri vniuerſi nil mali oriatur, cum indurationes iſtae leuiores effectus nullos ſecum duxerint.

§. 34.

Ceterum ſententia, male ſaepius ſyptomatum complurium cauſam in morbis vteri quaeri, lubenter adſentio.

§. 35.

Transeo igitur, cum ad aſſertum illud non ſatis euictum reſpiciendum haud videatur, ad recenſendos effectus veriſimillimos, plurimumque a medicis obſeruatos.

§. 36.

Multum a magnitudine, ac ſede indurationis. nec non conſtitutione aegrotae pendere, nec perinde eſſe, an ſola, aut cum aliis degenerationibus complicata ſit, ſatis apparet.

§. 37.

Effectus indurationis vteri (de ceteris enim degenerationibus ſeiunctim infra agetur) ad maximam partem ex perpe-

tua conſtitutionis incitatione morboſa et impedimento, functionibus vteri obſtructo, naſcuntur.

§. 38.

Sunt qui ſequuntur:

1. Fluxus menſium obſtructus, nimius, incongruus *).

2. Fluor albus chronicus.

3. Haemorrhagiae vteri. Vid. SELLE **), HALLER ***). HILDANVS †).

4. Abortus, cum nimirum induratione expanſionis vteri facultas impeditur, aut prorſus tollitur. Exinde explicari poſſunt abortus periodici.

Obſeruationes a Cel. EVERS ††) enarratae adeo graues ſunt ac memoratu dignae, vt illarum meminiſſe operae pretium videatur.

Obſer-

*) Conferri merentur effata Hippocratica de ſuperfoetatione §. 13. "*Durus fit vterus a calloſitate: his menſes non apparent, aut pauciores, quam oportet, et per longius tempus apparent*". Et de natura muliebri S. II. §. 45 et 46. "*Si vteri velut in callum indurati fuerint, menſes occultantur. Si obduruerint vteri, menſes non prodeunt, ſed pauciores; et deteriores, et dolor incidit*".

**) SELLE l. c.

***) HALLER opuſcula pathologica obſ. 47. hiſt. II. et diſput. chir. l. c.

†) HILDANVS obſeruat. chirurg. cent. III. obſ. 57. Corpus vteri ſcirrhoſum coniunctum cum ſitu peruerſo effecit, vt internae venae rumperentur, internoque in abdomine haemorrhagia ſubnaſceretur.

††) C. I. EVERS *neue vollſtändige Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneikunſt und Arzneigelahrtheit. Goett. 1787. p. 52 ſeqq.*

*Obſervatio Prima.*

"Foemina 38 annorum, per 11 annos infantes octo, ſem-„per nono menſe peperit, cauſam ignorans. Ad partum „decimum vocatus fuit auctor. Liquor amnii ante duas „dies effuſus, orificium vteri ſatis apertum, atque ceruix „infantis ita prominens, vt caput oſſi ileo dextro incum-„beret. Poſt conatus multos fruſtraneos ſucceſſit ipſi, ſub-„lato infantis corpore, caput in peluim deducere, quo fa-„cto, partus natura ipſa perfectus fuit. Infans denuo „mortuus, ſimul valde exiguus atque flaccidus, quales et „ceteri fuerant; praeterea autem nihil inſoliti. Funiculus „vmbilicalis ſolita ſirmitate deſtitutus, cum adſtringeretur, „in placentae limine rumpitur. Manu penitus inſerta, pla-„centa, tubae dextrae impoſita, cum ſacculo vteri intime „cohaerens, reperta. Qua ſeparata, tanto ambitu ſacculus „inuentus eſt, vt tota manus libere in illum inſeri potue-„rit. Erant in ſuperficie eius eminentiae durae, quibus „quaſi obductus erat. Auctor indurationes haſce pro cauſa, „quae infantibus in vtero mortem intulerit, habet. Quam „coniecturam confirmat medela feliciter perfecta; mulier „enim non multo poſt filiam viuam et bene valentem „peperit".

Multo adhuc memorabilior eſt.

*Obſeruatio Secunda.*

"Foemina 32 annos nata, ſeptem annorum interuallo „ſepties abortauerat, tertio ſemper grauiditatis menſe. In „grauiditate octaua auctor adhibitus abortum impedire non

„potuit

„potuit. In disquiſitione placentae iuſtam magnitudinem „longe excedentis, inſolita apparuerunt phaenomena. In „margine ſuperiori plus tertia parte ſcirrhoſa eiusque vela„menta mollia, villoſa et paſſim dilacerata; in ſuperficie „multitudo varicum, ad digiti magnitudinem accedentium, „in quibusdam partibus aneurysmatice expanſae et nodis va„ricoſis quaſi pertextae. Diebus binis praeterlapſis non ſine „doloribus ſeceſſit ex vtero polypus 7 pollices longus, et „ad maximam partem 3 pollicum ſemiſſes latus, cauus, co„niformis, ſanguine craſſo repletus; qui in baſi ſua, quae „ab vtero diremta fuerat, in ſimbrias ligamentoſas abiit. „In ſuperficie ſibris muscularibus contineri viſus, in cauo „velamentum valde album, laeue ac durum. Exinde auctor „conſequentiam deducit, fuiſſe vterum iam diu morboſum, „adiiciens, poſſe ex ſimbriis polypi ligamentoſis, accedenti„bus varicibus, et expanſionibus aneurysmaticis vaſorum „placentae, indurationes primitiuas ſupponi, quibus annexa „partim ſcirrhoſa placenta, occaſionem, varicibus, etc. ſan„guinis circulationem tertio grauiditatis menſe finito pror„ſus impedientibus, adeoque et infantis mortem et abortum „neceſſario producentibus, dederit. Nec fefellit coniectu„ram exitus. Mox enim infantem ſanum in lucem edidit".

5. Partus difficiles *) et via ſolita non perſiciendi **), tum, quia vterus debito more et aequabiliter contrahi, tum, quia vteri orificium expandi nequit, ſimulac adfuerit induratio.

6. Pro-

*) Mavriceav l. c. Obſ. 387 et 418. Vtraque in caſu difficilem partum excepit obſtructio vteri ſcirrhoſa, indeque ſterilitas nata eſt.

**) Roederer l. c. p. 15.

6. Prolapſus vteri, ſitus obliquus *), prout induratio aut fundum aut alterum vteri latus magis afficiat.

De ſitu obliquo memorabilia affert Evers **):

"Foemina 26 annorum, plures iam abortus perpeſſa, qui-,,busdam ſymptomatibus morboſis, inprimis continuo hypo-,,chondrii ſiniſtri dolore ſe affici querebatur. Inuentum eſt ,,in exploratione orificium vteri oblique parumper ad ſini-,,ſtram inclinatum, quod coniecturae locum dedit, corpus ,,vteri induratum eſſe. Cui conſentienter inſtituta medela ,,perfecit, vt non ſolum orificium in ſitum naturalem re-,,ſtitueretur, verum etiam vt mox filiam proſpera ſanitate ,,gaudentem emitteret".

7. Ruptura ceruicis et orificii vteri in laboribus partus, quodſi in iſtis induratio fuerit, et contractiones vteri violentae ſint.

8. Sterilitas, quatenus in genere vterus morboſus non concipit ***), ſiue cauum vteri comprimitur, aut adeo orificium vteri clauſum eſt, eoque congreſſus matrimonialis prohibetur †), ††).

9. Sym-

*) Hildanvs l. c.

**) Evers l. c.

***) Hippocrates de natura muliebri: *Si induratus fuerit vterus, non concipit.*

†) Roederer l. c. p. 14. *Laborans hoc malo* (induratione vteri) *inveterato foemina viro nupta, vimque ſeminis foecundi non percipiens, ſterilis manet.*

††) Mavriceav l. c.

9. Symptomata mammarum morboſa per conſenſum.

10. Furor vterinus, inprimis in virginibus, per continuam incitationem et aduectum illa humorum in vterum confluxum, praecipue vbi menſes ſupprimuntur.

11. Ruptura vteri, praeſertim ſi orificium induratum, eiusque expanſio impedita et contractiones violentae fuerint *), **), ***), †).

12. Syptomata et effectus innumera alia, quae, non ceſſante incitatione morboſa, corporis conſtitutionem afficiunt atque debilitant.

Referenda huc potiſſimum obſeruatio, quam Evers ††) enarrat:

"Foemina 28 annorum, cuius valetudo iam longe an-„tea debilis fuerat, curae eius ſe tradidit. Appetitus cibi „vitioſus; flatus poſt coenam crebri; ſedes rari; periodi „menſtruae ſymptomatibus ſpaſticis comitatae; palpitatio „cordis interdum ita vehemens, vt in oculos incurreret, „ſine tuſſi, ſine dolore dorſi, ſine reſpiratione difficili, ſputa „ſanguine non permixta, cum pulſu naturali: exinde ſum-„ma anxietas et triſtitia animi. Ex variis indicationibus „cau-

*) Haller opuſc. patholog Obſ 46 Hiſt. I.

**) Hildanus l. c. Cent. I. Obſ. 67.

***) Roederer l. c. p. 16.

†) Crantz, de rupto, in partus doloribus a foetu, vtero Lipſ 1756 — indurationes vteri inter cauſas rupturae eiusdem refert. Idem confirmat Wizel, obſeruatione modo citata, his verbis: "*rupturae cauſa „fuit, quod medietas vteri in parte dextra ſcirrhoſa, reliqua foetui lo-„cum concedens, nimis attenuata, laboribus partus rupta fuerit*".

††) Evers l. c.

„cauſam ſyptomatum in abdomine quaerendam ratus, dedit „remedia reſoluentia, et leniter euacuantia, verum ſine vllo „fructu. Tandem viſum fuit poſſe in vtero cauſam adeſſe; „adhibita igitur exploratio. Inuentum eſt orificium vteri „externum durum, impreſſioni non cedens, ſed contra acu„tum magis, quam rotundum vna cum collo prominens, „qua re libera ſanguinis circulatio impedita, ſpasmi in fluxu „menſium (ex ſola vagina non ex vtero veriſimiliter pro„deunte) excitati, palpitatio cordis protracta, et conceptio „impedita fuerunt. Indurationes itaque amoliri ſtuduit, „id, quod ita ſucceſſit, vt menſibus aliquot praeterlapſis, „foemina, ſymptomatibus omnibus moleſtis penitus libe„rata, conceperit".

§. 39.

Effectuum horum atque ſymptomatum ſingula ſufficiunt, ad conſtitutionem corporis ita afficiendam ac debilitandam, vt morbos non modo moleſtos, verum adeo periculoſos, quid? quod letales generent.

*P r o g n o ſi s.*

§. 40.

Pendet inprimis a ſitu, magnitudine ac mora indurationis, praeterea autem a conſtitutione ac aetate aegrotae, atque a ſymptomatum, plus minusue periculi minantium, concurſu.

§. 41.

In induratione nondum inueterata, accedente conſtitutione corporis valida, et medela idonea, felicia auſpicari li-

 cet:

cet: vbi vero vterus omnis induratus fuerit, vel adeo in degenerationem vlteriorem correptus, vbi conſtitutio infirma, medela inepta, parum ibi ſpei relinquitur. Mors vitari nequit, ocius citius ventura, vbi vlceratio iamiam enata fuerit.

§. 42.

Meliora in genere exſpectari poſſunt in illis, quibus menſtruatio iamiam ceſſauerit, non cadentibus in ipſas, quaecunque a turbatis vteri functionibus pendeant.

*Medela.*

§. 43.

Potiſſimum eſt, momenta morbi mature tollere, in inflammatione vteri (ſi, vt vulgo, aſthenica fuerit) remediis debilitantibus abſtinere, arthritidem et luem veneream, quantum fieri poteſt celerrime, remediis efficaciſſimis impugnare, et virgines ad nuptias prouocare. — —

§. 44.

Pro indole conſtitutionis ad corrigendum ſtatum morboſum generalem, varia, quae indicata fuerint, remedia hoc loco recenſere nimis prolixum foret.

§. 45.

Morbus per ſe remedia, quae vocantur reſoluentia, ſuadet. Quicunque autem, non ſolis morbi ſymptomatibus inhaerens, cauſam eius ſcrutatur, quicunque obſtructionem ſola vi mechanica ſolui abluive poſſe non putat, cui potius eſt

ob-

obſtructio effectus vis partium vitalis debilitatae: ex reſoluentibus non debilitantia, quae nocent magis quam proſunt, ſed potius, quae ſoluentia excitant, eliget, vt, promota vis vitalis actione, per hanc obſtructio reſoluatur.

§. 46.

In caſibus obſeruatis, quoties ſucceſſit medela, remedia adhibita fuere acriter excitantia v. g. *mercurialia* *), *belladonna.*

§. 47.

Roederer **) mentionem de ſcirrho vteri iniicit, qui, ex lue venerea veriſimiliter oriundus, ſymptomata grauiſſima, et extrema minitantia iamiam effecerat, nihilo autem minus vſu mercurii continuo feliciter remotus fuit.

§. 48.

Grauiores ſunt obſeruationes, quarum quatuor refert Evers ***), qui luculento ſucceſſu ſaepius *belladonna* vſus fuit. Obſeruationes ipſas iam antea †) deduxi.

§. 49.

Quae ipſi comperta fuerunt digna ſane ſunt, vt experientia ad examen reuocentur. Dare ſolet grana quinque foliorum belladonnae, et totidem rad. rhei veſpere alternanti, aucta adhuc doſi, pro morbi ſtatu. Praeterea diaetam lacteam, et



*) *Abhandl. f. prakt. Aerzte T. III. pag. 91.*

**) Roederer l. c. p. 31.

***) Evers l. c.

†) §. 38. Nro. 4. 6. et 12.

et per interualla leniter purgantia (Sal Sedliz) adhibere iuſſit, hoc autem vt rad. rhei nullius omnino vſus fuiſſe videtur. Quinta vel ad ſummum octaua hebdomade perfecta eſt in obſeruationibus memoratis medela.

§. 50.

Praeter interna, generatim excitantia, externa quoque topica idonea eſſe poſſunt, inter iſta *electricitatis* vſus prae ceteris mihi arridet.

*Exitus.*

§. 51.

Niſi tollatur induratio, exitus varius plurimum vero malus eſt. In conſtitutione ceterum valida, vitatis ſimul omnibus, quae vterum denuo excitare et inflammationi tradere queant, induratio diu adeoque per totam vitam conſiſtere poteſt, in aliud malum neutiquam tranſiens.

§. 52.

Verum ſi conſtitutio praua fuerit, non vitatis, quae indurationem vteri producere valent, noua ſequitur inflammatio, ex qua aut degenerationes vlteriores, aut vlcus malignum *) naſcuntur, febris hectica, conſumtio et alia mala ſuperueniunt; tandem mors ſcenam claudit **), ***).

*) Obſeruationes, quae vteri indurationem aut ſcirrhum, male ſic dictum, in cancrum abiiſſe volunt, eatenus erroneae putandae ſunt, quatenus nonniſi in partibus glanduloſis, nec igitur in vtero, oriri poteſt cancer: ſubſtituendum itaque in iſtius locum vlcus malignum - vlceratio. Vid Arneman l. c. Sect. XXI. vom Krebs.

**) Haller opuſc patholog obſ. 47. Hiſt. II.

***) *Abhandl. d. Schwediſchen Aerzte. T. I.*

SECTIO

## Sectio II.

## DE VTERI SARCOMATIBVS OSTEOSTEATOMATIBVS ATQVE EXCRESCENTIIS SPECIATIM EXTERNIS *).

§. 1.

Saepiſſime inueniuntur excreſcéntiae, quae, modo maiores, modo minores, ſubſtantiae vteri plurimum ſimiles, petiolo ſaepiſſime cum illo coniunctae ſunt.

§. 2.

Poſſunt diſpeſci:

a. In internas, ad quas referendi ſunt, qui ſaepius occurrunt polypi.

b. In externas (ſiue proprie dictas excreſcentias), quae in ſuperficie extera graſſantur, polyporum, ſi velis, exterorum nomine deſignandae.

§. 3.

Poſteriores (b) vulgo in fundo et corpore, rarius in ceruice et partibus ceteris, vtero annexae reperiuntur.

§. 4.

Interdum etiam inueniuntur ſarcomata vteri, quae vero, ſiue ſedem ſiue conſiſtentiam, magnitudinem et reliqua ſpectes, valde diſcrepare poſſunt.

§. 5.

*) Omnia haec reſpectu momentorum et effectuum etc. cum induratione fere conſentiunt, qua re breuius hic commemorare licet, quae antea fuſius explicata fuerunt.

§. 5.

Solent quidem in cauo vteri morari, interdum tamen in loco inferiori, quid? quod in vagina reperiuntur; laxa plurimum ac mollia, ſaepe etiam in lobos diuiſa, ad ingentem magnitudinem excreſcere poſſunt *).

§. 6.

Rariſſime occurrunt oſteoſteatomata, quae plurimum in vteri ſuperficie externa, raro in ſubſtantia ipſa ſedem figunt, et vulgo peritonaeo et membranis aliis, formam naturalem excedentibus, cum illo coniuncta ſunt. Etiam haec ad ambitum latum excreſcere poſſunt.

§. 7.

Omnes hae vteri degenerationes ſingulae adeſſe poſſunt, non raro autem plures iſtarum ſimul adſunt.

Vna forſan alterius origini anſam praebet.

*D i a g n o ſ i s.*

§. 8.

Non eſt eidem, qua in induratione, difficultati obnoxia, cum ex his ſymptomata grauiora et eminentiora non poſſint non oriri, et exploratio, tam interna, quam externa morbi naturam facilius aperiat.

*D e c u r ſ u s.*

§. 9.

Obſcurus nec ſatis definitus ſit neceſſe eſt, cum nimirum morbus initio raro agnoſcatur, nec medico tunc offerri ſoleat.

§. 10.

*) Re vera pro varietate ſiue ſpecie polyporum (carnoſorum) habenda videntur.

§. 10.

Longam eſſe, certis conditionibus, degenerationum iſtarum durationem, demonſtrant mutationes mirae, quas in partibus iſtis, antequam in maſſas oſſium transformatae fuerint, locum habuiſſe oportet. Non enim illud vnius ſed plurium ſane annorum decurſu confici potuiſſe, cenſendum eſt.

§. 11.

Plurimum autem, quando formatae fuerint, valetudo aegrotae ita afficitur, vt vitae finis non adeo remotus ſit.

*Cauſa.*

§. 12.

Grauibus omnino difficultatibus laborat, qui rationem, qua natura in effingendis eiusmodi degenerationibus procedit, exponere et explicare conatur.

§. 13.

Quodſi comparationem inter indurationem et haſce degenerationes inſtituere velis; cuncta omnino in eo concurrunt, quod cauſa topica in vtrisque egerit. Si has ab illa diſtinguere in animo eſſet, hoc ita forſan perficiendum: eſſe indurationem effectum potius actionis lenioris, aſtheniam, qua ſtagnatio et circulatio lentior effecta ſit; oriri contra excreſcentias ex actione peruerſa et acriori, non tamen ita violenta, vt deſtructionem producere valeat.

§. 14.

Veriſimillimum et aliis tumoribus magis conſentaneum eſt, etiam hic inflammationem topicam atque chronicam, vt

in induratione, ſubeſſe, quae in ſuperficie vteri et partibus vicinis potiſſimum graſſatur, ita vt per illam guttae quaedam lymphae eliciantur, quae non rurſus abſorbentur.

§. 15.

Nota eſt lymphae plaſticae proprietas, vt organiſationem recipiat, cui conſentienter, vbicunque illa exſtillauerit, membranae et vaſa noua oriuntur; id quod in ſuperficie vteri diu fieri poteſt ſine perturbatione, cum nihil in illa reperiatur, quo abſorberi lympha poſſit.

§. 16.

Simulac per vires corporis (nomine proprio vis plaſticae aut niſus formatiui pro lubitu inſignitis, ſiue in genere ad actionem vis vitalis reductis) effectus ſuos exſerere coeperunt, et prima ſtamina formata fuerint, ex lege nutritionis generali, ſeu forſan vi attractiua ſpeciali, qua nutritio promouetur, humores largius affluunt, vt cum veriſimilitate ex incitamento ſiue incitabilitate mutata, quae in partibus illis locum habuere, coniicere licet.

§. 17.

Variae degenerationis formae ab lymphae copia, ſitu vteri non turbato, corporis conſtitutione, et rationibus aliis pendent.

§. 18.

Momenta principalia, quae inflammationem in ſuperficie vteri partibusque vicinis *) conficiunt, ſunt, vti in induratione,

*) Solent enim partes in vicinia vteri ſimul inflammari, quo fit, vt partes iſtae plurimum cum tumoribus concretae inueniantur.

tione, incitamenta in partes ſpeciatim agentia, qua re, ne acta agam, ad ea, quae (Sect. I. §. 31.) expoſita ſunt, me referens, hoc loco obſeruationem tantum, quam von Sanden *) enarrat, commemorem.

§. 19.

Obſeruatio iam ſupra **) citata, hoc loco memorari meretur, quam Boettger ***) ſic enarrat:

"Mulier 20 et quod excurrit annorum, cum caelebs adhuc „eſſet, de inſigni tumore ſupra pubem in regione hypoga-„ſtrica conquerebatur, qui magnus, durus, non ſine omni „dolore tactui ſe ſubiiciebat. Menſtrua quouis lunari tem-„pore debita fluebant. Quoniam vero, vti ipſa confirma-„bat, et parens et promatertera ſua eoque ipſo malo et-„iamſi laborarent, nihiloſecius tamen ſobolem procreauiſ-„ſent, ideo de connubendo haud valde dubitauit. Sexto „grauiditatis menſe peperit puerum, poſt 24 horas mortu-„um. Et ipſa mox abiit. Inuentum eſt in ſectione ſarco-„ma valde magnum, in fundo vteri cum ipſo eiusque ve-„lamentis continuum vnum conſtituens".

*Effectus.*

§. 20.

Numero et grauitate illos, qui indurationem ſequuntur, longe ſuperant, qua re aliquanto fuſius de illis verba facere neceſſarium erit.

D 2 §. 21.

*) von Sanden obſerv. de prolapſu vteri inuerſi ab excreſc. carneo-fungoſa, in fundo eius, ex potu infuſi crepitus lupi, enata. Lipſ. 722.

**) Sect. I. §. 18. nro. 6.

***) Boettger diſſert. de inflammatione vteri cum ſubiuncta obſeruatione de vteri ſarcomate. Rintelii 1761.

§. 21.

Ex tumorum ambitu ac ſede diuerſi oriuntur; periculoſiſſimi ex preſſione in partes vicinas originem trahunt.

§. 22.

Primas partes agunt:

1) Preſſio in inteſtina generatim, vnde inflammatio et mutua concretio, aluus tarda, difficilis *), obſtructio glandularum meſentericarum etc.

2) Preſſio in inteſtinum rectum, exinde, praeter effectus iſtos, haemorrhoides coecae, fluentes. Memoranda hoc loco, quae enarrat Baader **).

"Inſignis magnitudinis fuit ſcirrhus (melius excreſcentia „ſeu oſteoſteatoma) ex poſteriori parte vteri, qua inteſti„no recto hic incumbit, enatus. Superius ſub meſenterio „et peritonaeo ad renem dextrum vsque aſcendebat, vt hoc „ipſo itinere, tum venam, tum arteriam iliacam, tum „etiam vreterem dextrum compreſſerit; inferius inter vagi„nam et inteſtinum rectum ad ſphincterem ani fere deſcen„debat, et inteſtinum rectum ſatis valida compreſſione an„guſtabat, adeo, vt minime mirum ſit, inter alia ſympto„mata, aluo tarda, difficili; dolore lancinante, ardente, „rodente lumborum; haemorrhoidibus coecis dolentibus; „dolore, contractione, emaciatione pedum, ſtranguria, dy„ſuria, iſchuria laboraſſe, quippe quae mala omnia ex „compreſſione partium facile explicantur".

3) Preſſio

*) Haller diſputat. chir l. c.

**) Baader obſerv. medic. inciſionibus cadauerum anatom. illuſtr. obſ. 39.

3) Preſſio in veſicam vrinariam, collum veſicae et vreteres. Pro preſſione grauiore aut leniore excretio vrinae, aut moleſtior *) fit, aut penitus impeditur, ſuccedentibus coarctationibus atque concretionibus vreterum, in parte autem ſuperiori vreteris et peluis renalis expanſione, renum inflammatione et ſuppuratione, vrinae fiſtulis etc. **).

Referri huc poteſt obſeruatio, quam exhibet Michaelis ***), qua nimirum per preſſionem oſteoſteatomatis valde magni et cum vtero concreti, vreteres ambi in confiniis veſicae, trium pollicis ſemiſſium longitudine, prorſus concreti, et in parte ſuperiori, vna cum pelui renali valde expanſi inventi ſunt.

Simile, quid de ſcirrho (rectius excreſç. vel oſteoſteat.) quodam Hallervs ****) enarrat, cuius preſſione vreter alter prorſus compreſſus et paene concretus, peluis renalis valde expanſa et renes inflammati fuerant.

4) Preſſio in neruos, vaſa ſanguifera et lymphatica extremitatum inferiorum, vnde varices, oedema, paralyſis, emaciatio pedum †).

5) Abortus et ipſa infantis mors confecta preſſione oſteoſteatomatis etc. Vid. Boettger ††), *von* Sanden, Sandifort, Roederer, Edmvnd Chapman.

 6) Partus

*) Röderer l. c p. 33.

**) Baader l. c.

***) Michaelis l. c.

****) Haller opuſcula pathol. obſ. 47. hiſt. 1.

†) Baader l. c., Röderer l. c.

††) Böttger l. c., von Sanden.

Sandi-

6) Partus difficiles et non perficiendi. Vid. *La* PEYRONNIE †), SANDIFORT, ROEDERER.

Eſt in actis academiae Pariſienſis *) obſeruatio ſequens:

"Foeminae parturienti os vteri parum cum aperiretur, ,,tandem laboribus ſuccumbenti fatalis partus fuit. Sectio-,,ne inſtituta, ſubſtantia glandulosa, vtero continua, orifi-,,cium ita obturatum repertum eſt, vt aliquot modo fora-,,minulis pertuſum fuerit, per quae menſtruus fluxus ex-,,ſtillare, ſperma vero ſubire potuit".

Obſeruatio alia in ſelectis Francofortanis **) narratur, vbi condylomata tria in orificio vteri, partum valde difficilem, vna cum fluxu lochiorum vehementi eoque mortem effecerunt.

7) Inuerſio, retrouerſio, ſitus obliquus, prolapſus vteri. Vid. *von* SANDEN ***) *Ephem. N. C.*, ROEDERER.

Memora-

SANDIFORT obſerv. anatom. patholog. Lugd. Batav. 1777. cap. 8. pag. 113. ſeqq., RÖDERER l. c.

EDMVND CHAPMAN treat. on the improvement of midwifery caſe 35 pag. 134 ſeqq.

†) De la PEYRONNIE obſ. ſur une excroiſſance de la matrice dans l'hiſtoire de la ſocietè des ſciences établie a Montpellier T. I.

SANDIFORT l. c., RÖDERER l. c.

*) Hiſtoire de l'acad. royale des ſciences de Paris A. 1705. obſ. anatom. VII. pag. 52.

**) Selecta medic. Francofort. T. IV. Vol. 4.

***) von SANDEN l. c.

Ephem. N. C. cent. III. et IV. obſ. 108. de procidentiae vteri cauſa ſingulari.

RÖDERER elem. art. obſtetr. cap. XVII. pag. 450.

Memorabilem caſum de ſitu obliquo enarrat SANDIFORT*).

8) Fluor albus chronicus. Vid. *Select. Francoſ.* **), *von* SANDEN, *Ephem. N. C.*

9) Fluxus menſium obſtructus, nimius, incongruus. Vid. CRELLIUS ***), *Select. Francoſ.*, KANNENGIESSER.

10) Haemorrhagiae vteri, modo hoc modo illo tempore redeuntes, et ſaepe per annorum ſpatium durantes. Vid. *von* SANDEN ****), HALLER.

11) Sterilitas. Vid. HILDANUS †) MORGAGNI, SANDIFORT, KANNENGIESSER.

12) Ruptura vteri. Vid. SANDIFORT ††), *Miſcell. N. C.*, BLANCARD, BARTHOLINUS.

§. 23.

*) SANDIFORT l. c.

**) Sel. Francof. l. c., von SANDEN l. c., Ephem. N. C. cent. 7. et 8. obſ. 27.

***) CRELLIVS programma de tumore fundo vteri externo adhaerente. Witemb. 1739., Sel. Francof. l. c.

KANNENGIESSER obſerv. de concremento carnoſo vteri orificium externum claudentis, menſtrui ſanguinis tranſitum et matrimonialem congreſſum impedientis.

****) von SANDEN l. c., HALLER diſp. chir. l. c.

†) HILDANVS l. c. cent I obſ. 65- 66.
MORGAGNI de ſedib. et cauſis morbor. L 2. Art. 45.
SANDIFORT l. c., KANNENGIESSER l. c.

††) SANDIFORT l. c.

Miſcell.

§. 23.

Plurimi effectuum et ſymptomatum inprimis, quae ex preſſione naſcuntur, multo magis periculi ac ea, quae indurationem ſequuntur, ſecum ferunt, atque breui tempore mortem ipſam producere valent.

*Prognoſis.*

§. 24.

Pendet inprimis a tumorum extenſione, ſede ac duratione, non parum etiam a corporis conſtitutione. Multo autem peior eſt illa, quae in induratione locum habet; tum, quia ſymptomata multo grauiora oriuntur; tum, quia medela vix cogitari poteſt.

*Medela.*

§. 25.

Difficile eſt vterum penitus induratum, difficilius adhuc, quin adeo prorſus extra artis fines, degenerationes, in quibus maſſae, omnino incongruae, conflatae fuerint, ad medelam reuocare.

§. 26.

Sarcoma, aut excreſcentia in utero ſe continens, per ligaturam commode tolli poſſunt *).

*Exitus.*

Miſcell N. C. A. 2. obſ. 254. pag. 378 et eiusdem anni obſ 85. pag. 159.
Blancard anatom. pract. rational. obſ. 22. pag. 233.
Bartholinvs de inſolitis partus viis cap. 3. pag. 21.

*) Journal de Medic Chirurg. Pharmac. etc. p. M A Roux a Paris T. XXI. La Péyronnie l. c., Kannengiesser l. c., Haller diſp. chir. l. c.

*Exitus.*

§. 27.

Eſt vt in induratione, niſi iam citius a ſymptomatibus, preſſione euocatis, mors conficiatur.

§. 28.

Eo magis hic vlcus malignum nascetur, quo minus in partibus adeo degeneratis, ſuppuratio bona ſperari poteſt *).

*) Miſcell. N. C. A. 2. obſ. 254. pag. 378. et A. 9. obſ. 126. pag. 301. Iſto quidem in caſu ipſe vteri tumor in meditullio vlcus fouit, in hoc vero vomica teterrimi odoris, pure plena, meſenterium obſeſſum fuit.

* * *

Liceat mihi hoc loco, mentionem ſcriptornm quorundam, quae conferri merentur, adiicere:

Journal de Medicine T. XXV. XXX. XXXI.

Ephem. N. C. cent. 7. et 8. Obſ. 27. 9 et 10. Obſ. 31. 3 et 4. Obſ. 108. 1. et 2. Obſ. 77.

Weber obſerv. medicae.

Slevogt diſſert. de vtero, per ſarcoma, ex corpore protracto.

Tumorem magnum ponderoſum deſcripſit Büttner anatom. Wahrnehm. pag. 8.

Steatoma vteri fundo adhaerens, cuius cauitatem materia ſeui ſimilitudine replebat, notauit Rhodivs cent. 3. obſ. 46.

Excreſcentiam piriformen externe ſuperficiei fundi vteri adhaerentem Bvddaevs in Miſcell. Berolin. c. 3. Obſ. 3.

Tumorem tunicatum ex atheromate et Steatomate compoſitum, intra ſubſtantiam quidem fundi vterini enatum, ſed externe tantum protuberantem, deſcripſit Boehmer obſ anat. rar faſc. 2. p. 44.

Tumorem abdominis hydropicum cum tuberculis in vtero Peyer Parerg. 6. p. 247.

Sarcoma vteri notabile Boehmer Act. Acad. N. C. Vol. 9. App. p. 59. ſq.

 Obſer-

*Obſeruationes, quas mihi ipſi inſtituere licuit, hae ſunt:*

*Obſervatio Prima.*

Ancilla ſana, corpore robuſto, 37 annos nata, quae iam ante 11 annos pepererat, nunc denuo grauida facta eſt. Per primos grauiditatis annos valetudine bona gauiſa, ſubito vna cum 4 aliis ancillis, quae pudicitia conſpicuae non erant, in eadem domo in morbum incidit.

Per dies 10 priores non ſemper in lecto detenta eſt, interdum etiam cibis vſa, per 4 autem vltimos, morbo creſcente, lecto adfixa fuit. Die 14 delirans, voce amiſſa, mortua eſt. Durante morbo, de ingenti ardore et capitis dolore, inprimis autem de dolore abdominis, in regione pubis haerente, acerrimo, conqueſta eſt; febris violenta adfuit.

Medico non vſa eſt, heri ſolummodo primis diebus remedium purgans, ſeptimo emeticum dederunt, quibus vero morbi ſtatus in peius mutatus fuit.

Poſt mortem inuentus eſt inter femora foetus 4 aut 5 menſium aetatem prodens; lectus et linteum ſanguine maculata, genitalia valde expanſa, nec minus ſanguine et muco obducta.

In ſectione poſt aliquot dies, praeſente medico ac iudice inſtituta, quam vna cum illo perficere mihi obtigit, ſequentia inuenta ſunt. Corpus tumidum non tamen valde emaciatum. Ex ore naribusque humor rubicundus manabat, cutis maculis rubris obducta. In ventriculo et tubo inteſtinali inventus eſt liquor viridis. Veſica fellea valde expanſa, lien permagnus, marcidus, veſica vrinaria interna ſuperficie in-

flam-

ſlammata, pluribus libris vrinae ſaturatae, praue olentis, ita repleta erat, vt fundus ad vmbilicum aſcenderet. Collum veſicae inflammatum, valde conſtrictum, et paene concretum, qua re preſſio in veſicam, ad excretionem vrinae perficiendam, non valuit.

Viſcera reliqua omnino ſana, excepto vtero, in quo phaenomena inprimis memorabilia, quae (Tab. I.) exhibet, conſpiciebantur.

Inuentus eſt ille, abdomine aperto, poſt veſicam vrinariam, tantopere expanſam, abſconditus; praeterea, niſi quod ad partem, in qua excreſcentia maxima erat, aliquanto inclinatus fuerit, ſitu naturali gaudebat. Magnitudinem, qualem vterus, primis diebus poſt partum maturum habere ſolet, aequare videbatur, fundo in ſuperficie extera non aequabiliter conuexo, ſed ad ſiniſtram decliui. Vterus, inde a fundi medio vsque ad medium orificii externi poll. $5\frac{1}{2}$ longus; latitudo eiusdem maxima poll. $3\frac{1}{4}$; et diameter a parte antica ad poſteriorem poll. 2.

In corpore vteri, et quidem in *latere antico*, ſunt excreſcentiae binae.

*Altera* ad dextram, in tabula non conſpicua, inſertioni tubae dextrae contigua, nucis auellanae magnitudinem fere aequat, lin. 8 longa, lin. 6 lata, et lin. $4\frac{1}{2}$ craſſa. A peritonaeo vna cum vtero tegitur. Textura interior eſt conſtrictio arcta fibrarum tendinoſarum atque muſcularium, partim coloris albi, partim rubicundi. In margine, vtero proxima, conſpiciuntur, in ſuperficie diſſecta, orificia vaſorum complura, in margine extera, pauciora. Fibrae maximam partem

glomi inſtar contortae, ſolummodo in margine interiori in fibras vteri abeunt.

*Altera* ad ſiniſtram *), eſt pone inſertionem tubae ſiniſtrae et, tam peritonaeo, quam petiolo tenui cum vtero coniungitur. Eſt piriformis, diameter longitudinis poll. 1 lin. 7, latitudinis poll. 1. lin. 3, petioli autem lin. 7. Diſſecta, eandem ac prior, ſubſtantiam et texturam exhibuit, qualem (fig. 2.) luculenter commonſtrat.

In medio vteri corpore, verſus collum et prope ligamentum rotundum dextrum, conſpiciuntur complura, excreſcentiarum nouarum, initia ad lentis magnitudinem accedentia.

In *latere poſtico*, quod in tabula effictum eſt, et quidem in medio vteri fundo adeſt excreſcentia **) vnica minor, baſi ſatis lata cum vtero connexa, et lin. 9 vndique lata. Etiam hic, ſectio eandem, quam in ceteris, texturam aperuit. Eſt in medio corpus glanduloſum parti vni alligatum, quod in parte altera oppoſita cauum peculiare ſibi formauit ***). Fibrae ipſius cum fibris vteri arctiſſimo nexu cohaerent.

Sub hac apparet excreſcentiae nouae ſtamen lentiforme.

Ligamenta rotunda, tubae atque ouaria, forma naturali gaudent. Poſtrema tamen compreſſiora et longiora, vt in foeminis, plura iam puerperia perpeſſis, eſſe ſolent: non turgida et rotunda, vt in prima vice grauidis.

Orificium eiusque labia, inſolita craſſitie et prorſus indurata. Diameter longitudinis poll. 2., latitudinis poll. 1 lin. 5.

Rima

*) Tab. I fig 1. a.

**) Tab. I fig. 1. b.

***) Tab. I fig 3.

Rima orificii oblique ſita, parum rugoſa, inter angulos ſuos longitudinem poll. 1 continet. In labio anteriori gerit burſas mucoſas permultas; paruas, gelatina albida repletas.

Poſtquam fundus corpusque vteri, a regione ſuprema, verſus infimam, diſſecta fuerunt, apertum eſt cauum triangulare. In angulo huius ſiniſtro conſpiciuntur reſidua, deciduae primae, minora, in orificio autem interno et latere antico caui, maiora. Subſtantia vteri valde tumida, dura et in ſuperficie interna inflammata. Orificium tubae ſiniſtrae ſatis amplum, tubae autem dextrae vix conſpicuum. Vteri latera inſolitae amplitudinis, lin. 10 fere aequantis. Textura in partibus plurimis compacta magis, quam ſtatim poſt partum praematurum eſſe ſolet; apparuerunt tamen, inter fibras compactas, orificia vaſorum complura varii ambitus. Ex fimbriis tubae ſiniſtrae pendet, qualis ſaepe occurrit, hydatis.

Cetera omnia in ſtatu naturali fuere.

## *E p i c r i ſ i s.*

Propria mortis cauſa difficulter definitur, cum medicus non adfuerit, vero tamen ſimillimum eſt, partim vi externa, partim autem per remedia interna acerrima, inprimis diuretica, quibus ad abortandum vſa fuerit, febrem et ſymptomata antea narrata originem traxiſſe; vnde inflammatio vteri et veſicae vehemens, conſtrictio colli veſicae, et vrinae retentio, quae omnia, deficiente cura idonea, finem vitae imponere ſatis ſuperque valebant.

Rationes huius ſententiae hae ſunt:



a) An-

a) Ancilla ſimul cum 4 aliis in eadem domo, ſine vlla cauſa aperta, ſubito in morbum incidit.

b) De grauiditate ſua ad menſem quartum vel quintum iamiam prouecta, eo certius perſuaſum ſibi habere poterat, cum experientia huius ſigna nouerit. Idem hoc ancillae 4 aliae pro vitae ratione, quamuis non certo, ſuſpicari poterant.

c) Prior, vt etiam ille, a quo grauida facta erat, paupertate laborabant. Cuncta, quae expectare poterat, expulſio ex domo herili, inopia, quae, nec infantem, nec ipſam alere permitteret, ignominia et poena, cui, vt denuo granida, obviam ibat, ſuffecerunt procul dubio ad excitandum propellendi foetus conſilium.

d) Adhibuit igitur remedium abortiuum acre, ex claſſe diureticorum, vt, ex inflammatione vteri et veſicae, maxime probabile eſt, et quidem magna doſi, dum ancillae ceterae, grauiditatem ſolummodo coniectatae, minori ſe continuere, eoque morbum leuiorem adeptae ſunt, ac ſanitatem eo facilius recuperare potuerunt, cum apud parentes, ad quos ſtatim remiſſae fuerant, meliori cura et medici forſan auxilio gauderent.

e) Remediorum eiusmodi compos fieri ſine magna difficultate poterat, cuius rei exempla nonnulla iam antea in regione iſta percrebruerunt.

f) Probatur quoque ſententia noſtra, ſubito morbi acceſſu, in ancillis ceteris ſimultaneo, ſymptomata grauia, febris violenta, dolor capitis vehemens, calor ingens, vrinae retentio,

dolor

dolor fixus et ardens in abdomine, tandem mutationes, quas, poſt mortem, ſectio detexit.

Reliquae, quae in cadauere inuentae fuerunt, mutationes, pro effectibus febris, per remedia acriter agentia, excitatae et mortis ad ſummum cauſis concurrentibus habendae ſunt.

Quonam remedio vſa fuerit, difficile definiri poteſt, cum ex iis, quae in ventriculo et tubo inteſtinali inuenta fuere, nihil concludere licuerit, reſiduis, propter longiorem morbi durationem, emetico et purgante procul dubio prorſus iam euectis.

Ceterum, foetum ex ipſius vtero proceſſiſſe, nec per alios ſubſtratum fuiſſe, ex mutationibus, in interna vteri ſuperficie, conſpicuis, inprimis autem ex velamentis placentae, quae partim adhuc in genitalibus valde extenſis, muco ſanguinolento, ex vagina adhuc fluento, obducta iaciebant, ſatis apparet.

Foetus capite praeuio, parum a genitalibus diſtans, repertus, ſanguine, vt linteum et lectus, obrutus erat. Aetatem eius 4 vel 5 menſes accedere, tum ex magnitudine, tum ex placenta iam foımata ſuſpicari licet.

Notatu dignum eſt, partum poſt mortem confectum fuiſſe, ex quo firmatur veritas ſententiae: poſſe vim vitalem in corpore reliquo iam exſtinctam, in partibus ſingulis adhuc adeſſe. Abortus autem, etiamſi hac ratione prouocatus, ſponte non potuiſſet non contingere, cum talis degeneratio vteri, expanſionem latiorem nullo modo admiſiſſet; omnino miran-

mirandum eſt, foetum in vtero tantopere morboſo, magnitudinem et perfectionem, qua pollebat, adtigiſſe.

Ex antea dictis, non ſine ſpecie veri, coniicere licet, ancillam iſtam iam in prima grauiditate, poſtea autem ad ſuſpicionem leuiſſimam, non raro procul dubio, pro vitae tenore, ipſi occurrentem, vſam fuiſſe remediis eiusmodi acribus, quibus inflammatio vteri ſaepius confecta, et per illam degenerationum origini anſa data fuerit.

Poſtremo forſan doſin ſolita maiorem adhibuit, cum partim experientia didicerit, minorem non ſufficere, partim de grauiditate, antea tantummodo coniectata, nunc prorſus certa fuerit. Exinde poteſt explicari, qua ratione remedia iſta ſanitati officere, degenerationibus iſtis in vtero anſam praebere, nec tamen citius mortem inducere potuerint.

*Obſeruatio Secunda.*

Ancilla 59 et quod excurrit annos nata, die 15. Febr. in noſocomium academicum recepta fuit. Iam diu debilis et valetudinis infirmae fuerat, fluorem album et pectoris moleſtiam ſaepius perpeſſa; per poſtremos annos conqueſta de abdominis capitisque dolore. Menſes ſatis iuſto ordine profluentes.

Vtrum aliis ſymptomatibus morboſis obnoxia fuerit, neque ex illa, neque ex heris explorari poterat. Vltimo tempore denuo moleſtiis pectoris valde vexata, et ineunte Februario pleuroperipneumonia correpta fuerat, quae per emeticum et purgans vehemens, inconſulto adhibita, in deterius verſa, vires aegrotae deiectas, magnopere debilitauerat. Medicum

dicum ſero adhibuit, mox in noſocomium translata fuit. Moleſtiae autem pectoris, quamuis obſtruerentur medicamina, eadem ratione, qua vires decrevere, auctae fuerunt. Summa inquietudo, febris violenta, grauis oppreſſio pectoris, quae vix vocem emittere ſineret. Veſpere inquietudo ſedatior, nullus moleſtiae ſenſus, mox delirium et eadem nocte mors incidit.

In ſectione mox a me ipſo peracta, ſequentia inuenta ſunt: Corpus valde macrum atque conſumtum. Adſuit hernia inguinalis ſatis magna. Thorax ſolito arctior, et pulmones, cum aperiretur pectoris cauum, valde exigui, vndique ita concreti, vt ne particula quidem libera eſſet: ſiniſter pure repletus. Cor magnitudinem naturalem dupla fere exceſſit, pulmones a latere deprimens, dum iecur praeter naturam ingens in cauum pectoris eminens, eosdem et inprimis dextrum a parte inferiori comprimeret.

Aperto abdominis cauo, inuentum eſt hepar permagnum, quod cum ſanguine liberatum fuerit, tamen 4 librarum pondus ſuperauit, qua re ventriculum ex ſitu naturali ad ſiniſtram ita propulerat, vt pylorus non ad dextram ſed ad partem inferiorem, curuatura minor ad dextram, maior ad ſiniſtram verſa eſſent. Etiam reliquorum viſcerum ſitus ex eadem cauſa turbatus fuerat. Veſica fellea nimiae magnitudinis, 10 — 15 calculos continuit. Ventriculus, praeter ſitum turbatum, naturalis, vt quoque inteſtina, quorum tamen particula cubiti vnius longitudine in ſaccum hernioſum, licet cum eo non concreta, conceſſerat.

In vtero degenerationes ſingulares et memorabiles apparuerunt, quales (Tab. II.) exhibet. Non parum ad ſiniſtram inclinatus, per tumores multos circumdantes, ita difformis redditus fuerat, vt difficile eſſet, primo adſpectu, eius ſitum definire et partes dignoſcere.

In corporis medio et quidem in *latere antico*, apparet oſteoſteatoma 5 poll. quadrantes longum, et per peritonaeum nec non telam celluloſam cum vtero coniunctum. Non conſpicitur in tabula adiecta.

Ad dextram, ſub ala veſpertilionis et ligamento rotundo, eſt excreſcentia *), quoad ſtructuram illis, quae antea deſcriptae fuerunt, prorſus ſimilis, eo tantum diſcrimine, quod in hac, fibrae plures tendinoſae quam muſculares adeſſent, et perpauca vaſorum orificia apparerent. Vtero paucis tantummodo fibris annexa eſt; ceterae in glomum contortae ſunt. Longitudo poll. 1. lin. 9., latitudo poll. 1 lin. 8. aequat.

*In latere poſtico*, quod tabula oſtendit, eſt pone poſt inſertionem tubae ſiniſtrae oſteoſteatoma **) exiguum, ſerratum, nonniſi tela celluloſa atque peritonaeo cum vtero connexum, dimenſione lin. 10. Sub hoc, pone corpus vteri, eſt oſteoſteatoma ***) valde magnum poll. 2. lin. 2. longum, poll. 2. lin. 1. latum, et poll. 1. lin. 11. craſſum. Hoc, non ſolo peritonaeo, ſed membrana ſingulari ex vteri ſubſtantia conflata, cuius fibrae in quibusdam locis in ſubſtantiam ipſam abeunt, cum iſto coniunctum eſt. In ſuperficie huius interna, quam nonniſi per ſerram multa difficultate diſſecare licuit, non apparet textura regularis, continetur omnino mixtione maſſarum, ex

*) Tab. II. c. **) Tab. II d. ***) Tab II b.

ex oſſiculis valde duris, et in quibusdam locis fere pelluci-dis, compoſitarum, vna cum fibris tendinoſis et muſcularibus. Semiſſis ad vnciarum 2 pondus accidit.

Ouaria compreſſa, pro more formam oui referunt, ac vt etiam tubae nihil inſoliti continent.

Orificium vteri externum cum labiis lin. 11. longum, lin. 10. latum. Rima fere rotunda, vix lin. 2. lata eſt. Pendet ex eius centro polypus exiguus, lin. 1. latus.

Utero accurate a parte ſuperiori ad inferiorem in medio diſſecto, apparuit, poſt inſertionem tubae dextrae, tumor, pro habitu extero ipſum vteri corpus viſus, qui a dextra (lit. a.), inter hanc et excreſcentiam (c) ſitus eſt, in ſubſtantia vteri prorſus abſconditus, ita vt parum emineat. Longitudo poll. 1. lin. 5., latitudo lin. 11. Textura interna vt in excreſcentiis, eo tamen diſcrimine, vt in quibusdam locis maſſae oſſium paruulae iam formatae ſint.

Vterus ipſe, cuius fundum, primo adſpectu, in ea parte, vbi eſt (lit a.), poſitum crederes, per tumores multos ambientes, ita contortus et compreſſus eſt, vt fundus ipſius in ſpatio exiguo inter (lit. a.) et oſteoſteatoma (d) totus contineatur.

Cum cauitas eiusdem diſſecaretur, emanauit materia glauca, et pſeudomembrana oblonga, quae taeniae particulam forma aequabat. Cauum eſt triangulare, ſed ad ſiniſtram partem omnino obliquum. Latitudo in fundo lin. 10., in regione orificii vteri interni lin. 5.; longitudo a fundo vsque ad oriſicium internum poll. 1. lin. 9. Nec in parte dextra, nec in ſiniſtra, vllum aperturae tubarum veſtigium in vtero apparet. Cervix in parte ſuperiori orificii vteri interni prorſus concreta.

Cauum eius valde arctum, texturae firmioris, cum orificio vteri externo, foramine tantummodo paruo coniungitur. Latera vteri exiguae tenuitatis, et quidem in fundo vix lin. 2. craſſa.

In ouariis, ligamentis rotundis, atque tubis nihil inſoliti apparuit, niſi quod tuba ſiniſtra ſit (pone lit. e.) aliquanto conuexior. In vagina, cuius ſectio transuerſa quatuor cellulas *) monſtrauit, rugae perpaucae conſpectae ſunt.

Quoad genitalia externa, hoc vnum memorabile, quod hymen in ſimbrias laciniatas, ex nymphis valde paruis, pendentes, diuiſus fuerit. Similibus ſimbriis etiam orificium vrethrae circumdatum fuit. Foramen hymenis vix eius magnitudinis, vt digitus minimus inſeri poſſet. Frenulum ſatis latum et incolume. Clitoris praeputio ita tecta, vt parum appareret.

Cetera in ſtatu naturali inuenta ſunt.

## *Epicriſis.*

Vnde ſingulares iſtae degenerationes vteri natae fuerint, definiri non poteſt, cum de vitae ratione aegrotae parum conſtiterit; iure tamen coniicimus, praeter ſymptomata morboſa antea narrata, multo plura adfuiſſe, non cognita, quia inuito medicum adhibuit.

Hymen non laeſus, virginitatem demonſtrare videtur, cui conſentit vaginae forma; praeterea conceptio in concretione tubarum

*) *Denkwürdigkeiten f. d. Heilk. und Geburtsh. v. Oſiander Gött. 1795. Tom. II. Tab. I. Fig. 6.*

barum et ceruicis locum habere non potuiſſet; quid? quod vteri degeneratio ex functionibus, quibus deſtinatus eſt, privatione, oriri potuerit.

Fluxus menſium propter concretionem ceruicis non ex vtero, ſed ex parte ceruicis inferiori et vagina proceſſerit oportet.

Tumores varios turbatum vteri ſitum, tubarum et ceruicis concretionem produxiſſe, facile perſpicitur.

Vtrum preſſio oſteoſteatomatis maximi ad generandam herniam contulerit? — hoc in medio relinquimus.

## EXPLICATIO TABULARUM.

### Tab. I.

*priorem obſervationem illuſtrans.*

Fig. 1. Vterus a parte poſtica, magnitudine, qua conſpectus fuit, effictus. Vagina, ad monſtrandum orificium vteri, replicata.

Fig. 2. Excreſcentia (a) diſſecta, ad aperiendam texturam internam.

Fig. 3. Excreſcentia (b) cum cavo et corpore glanduloſo contento.

### Tab. II.

*poſteriorem obſervationem illuſtrans.*


Vterus a parte poſtica effictus. Vagina ad detegendum vteri orificium a parte ſuprema ad infimam diſſecta.

Peritonaeum eo vsque remotum, vt membrana altera, per quam oſteoſteatoma (b) cum vtero coniunctum eſt, appareat.

Tab. I.



Tab. 2.




B[illegible]emann del. & sc.

DE

NATIVO

# VESICAE VRINARIAE INVERSAE PROLAPSV

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

*PRO GRADV*

*DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE*

DIE XXVI. SEPTEMBR. MDCCLXXXXIII

DEFENDET

AVCTOR

THEODORVS GEORGIVS AVGVSTVS ROOSE

BRVNOVICENSIS

SODALIS SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAE QVAE HELMSTADII EST HONORARIVS
ET SOCIETATIS PHYSICAE PRIVATAE GOTTINGENSIS ORDINARIVS.

*CVM TABVLA AENEA.*

GOTTINGAE

TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICII.

*Bewundernswürdig lehrreich ist die Natur selbst auf ihren Abwegen.*

SÖMMERRING.

R40360

VIRO. CELEBERRIMO

ILLVSTRI. EXPERIENTISSIMO. DOCTISSIMO

# IOANNI. FRIDER. BLVMENBACH

MEDICINAE. DOCTORI

IN. ACADEMIA. GEORGIA. AVGVSTA. PROFESSORI. PVBLICO. ORDINARIO

MAGNAE. BRITANNIAE. REGIS. A. CONSILIIS. AVLICIS

SOCIETATVM. REGIARVM. SCIENTIARVM. GOTTINGENSIS. ET. LONDINENSIS

ALIARVMQVE. SODALI

ETC. ETC.

PRAECEPTORI

SVMMA. SEMPER. PIETATE. VENERANDO

PVBLICE

GRATIAS. AGIT. MAXIMAS

PIAQVE. MENTE

DISSERTATIONEM

D. D. D.

TANTI. NOMINIS

CVLTOR. OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

## *PRAEFATIO.*

*Iter facienti ab amico meo* RUMANN, *Illustrissimi Comitis a Stollberg-Stollberg chirurgo aulico, in pago Rotha, in Comitatus Mannsfeldae parte Saxonica sito, conformationis vitium, notatu dignissimum, mihi ostendebatur. Postea beneuola Celeb.* BLUMENBACH *communicatione descriptionis casus ab eo examinati aliorumque exemplorum de natura huius mali magis instructus, diligentiori in hanc rem facta indagine, et plurium similium casuum, quos splendidissima locupletissimaque bibliotheca academica mihi suppeditauit, comparatione, inueni, hocce vitium hucusque non adeo notum, quam mereretur, et dignum esse, quod pluribus describeretur. Casus igitur historiam, et quae hac de re legi et cogitaui, in medium profero.*

*Non*

*Non possum, quin Viro maxime venerabili* Seiler, *ecclesiae Rothensis Pastori, et amico meo, Wilhelmo Hoyer, Brunouicensi, qui iurium studio in hacce literarum vniuersitate nunc incumbit,* alteri *pro humana hospitalitate, qua mihi, ei plane ignoto, quum puerum aegrotum examinarem, profuit,* alteri *pro labore, quem amicissime in conficienda ad naturam delineatione, dissertationi adiecta, suscepit, — publice gratias meas hic agam.*

*Ceterum, L. B., in diiudicando opusculo meo perpendas velim aureum illud* Galeni *) *dictum:* "Difficile est, vt, qui homo sit, (*addam: qui iuuenis sit,*) non in multis peccet, quaedam videlicet penitus ignorando, quaedam vero male iudicando, et quaedam tandem negligentius scriptis tradendo."

*) *De compos. pharmac.* L. II. C. I.

DE

DE NATIVO

# VESICAE VRINARIAE INVERSAE

# PROLAPSV.

## Cap. I.

## MORBI DESCRIPTIO.

§. 1.

Aegrotus, de cuius morbo disserere constitui, puer est, quatuordecim annos natus, qui, quum cetera sanus sit, nec omnino pulchritudine quadam destitutus, quamquam infirmus et imbecillis dici debeat, *praua infimi ventris*, et quae a naturali conditione prorsus recedit, *formatione* laborat.

§. 2.

In toto enim ventris valde propensi ambitu (Fig. A), praesertim in regionis mesogastricae parte, quam vocant vmbilicalem, *vestigium nullum, vbi vmbilicalis funiculus in fetum ingressus sit*, occurrit, quare similium casuum obseruatores quidam inducti, nullum omnino vnquam

hic adfuisse vmbilicum affirmarunt, nouaque inde ad firmandam doctrinam, fetum in vtero per os nutriri, argumenta elicuerunt *a*). At enim vero in regione hypogastrica, videlicet supra tumorem iam nunc describendum, plica quaedam adest (Fig. B), per quam, parentibus aliisque testantibus, vmbilicalis funiculus in recens nati infantis abdomen desiit atque terminatus est; id, quod etiam multis aliorum obseruationibus infra (§. 18) citandis confirmatum et comprobatum inueni *b*).

§. 3.

In regione hypogastrica, vbi pubis regio incipit, *tumor* (Fig. C) cernitur conuexo-complanatus, ab vno latere versus alterum ouatus, cuius diameter longitudine circ. tres digitos, latitudine duos, altitudine sesquidigitum aequat. Diluto rubore est tumor, quasi spongiosus et excoriatus, adeo vt crudae carni similis sit. Hinc inde muco madet. Insigni,

*a*) E. c. Stalpart vander Wiel *Obseruat. rarior. medic. anatomic. chirurgicar.* Cent. II. P. I. L. B. 1727. p. 328.
Cl. Desgranges in *Journal de Médecine.* 1788. T. 74. p. 475.

*b*) Quod et in recensione casus modo citati coniectatur: "*Am sonderbarsten ist die Bemerkung, dass man an dem Menschen keine Spur von Nabel entdeckt hat, und es ist Schade, dass Hr. Desgranges über diesen Umstand so flüchtig hinwegeilt, um desto schneller sagen zu können, dass dieser Mensch sich in Mutterleibe von dem Schafwasser ernährt habe. Eine genauere Untersuchung würde ihm die Spuren des Nabels gezeigt haben.*"
*Allgem. Literaturzeitung v. J.* 1790. B. II. p. 291.
Cf. Cl. Roux in *Journ. de Médec.* l. c. p. 477.

Insigni, quin summa sensibilitate haec pars praedita est, ita vt ne minimum quidem tactum absque summo et fere intolerabili aegri cruciatu patiatur. Reprimi potest, et puero supino quodammodo recedere videtur. A tussi protruditur et reiicitur inuicem.

§. 4.

In inferiori huius tumoris parte vtrumque latus *carunculam* quandam *papilliformem* oculorum aciei offert (Fig. DD), stylo teneri, capitello instructo, peruiam quidem, sed non sine summo aegri dolore, licet summa cautio et diligentia essent adhibitae. Ex quibus papulis continuo et inuoluntarie *vrina* guttatim *exstillat*, odorem peringratum dispergens.

§. 5.

Prope inferiorem huius tumoris partem est corpus latum, *glandem penis* quodammodo referens (Fig. F). In duas partes hoc corpus scissum esse videtur, adeo vt vrethra bifida, superius posita, corpora cauernosa coniungat. Glans omni orificii vrethrae vestigio plane caret, et, sicut corpus superne positum modo descriptum, summa instructa est sensibilitate.

Quum glandem a superiori tumore paululum removeris, *corpusculum pallidum*, *cum duobus* iuxta vtrumque latus positis *punctis*, visui apparet. (Fig. G.)

§. 6.

Glans *frenulo* quodam cum duplicatura cutanea, *praeputio* scilicet (Fig. H), coniungitur.

§. 7.

In vtroque inguine *tumores oblongi* (Fig. EE) apparent ab osse ilii versus scrotum tendentes, qui cute non decolori circumdati crinibus hinc inde teguntur.

§. 8.

Tumores illi in *scrotum* (Fig. I) abeunt, quod valde extensum, rapheque expers, loco solito situm est, et crinibus parce obductum. In eius cauo duo *testiculi* cum *epididymidibus* et *funiculo spermatico*, vt videntur naturales, sentiuntur.

§. 9.

*Ani orificium* praeter naturam versus anteriora positum est, adeo, vt perinaei spatium vix digitum dimidium aequet.

§. 10.

*Ossa pubis* longe a naturali statu abhorrent. Etenim symphysi prorsus carent, et magno *hiatu* distant. Qua de re vt certior fierem, enchiresin tali in casu ab Ill. Bonn c) primum commendatam, vt digitus scilicet ani orificio insereretur, institui. Sed aegri impatientia impediuit, quo minus

c) Andr. Bonn *über eine seltne und widernatürliche Beschaffenheit der Harnblase und Geburtstheile eines zwölfjährigen Knaben. A. d. Holländischen von* H. I. Arntz. Straſsburg, 1782. p. 36.

minus hancce distantiam interne recte sentire liceret. Ceterum iam externa exploratio omne de hac re remouet dubium, quum loco ossium pubis mollis adsit massa.

§. 11.

Inde vero, quod ossa pubis tam longe inter se distent, efficitur, vt *femorum* situs a naturali conditione longe discedat. Tantum enim inter illa est spatium, vt pueri ingressus valde sit vacillans, nutansque.

§. 12.

*Vrinae effluxus* ex duabus supra memoratis papillis plane est *inuoluntarius*, nec vlla, licet maxima, pressione externa augeri potest. Egomet ipse cum manuum volis omnes partes tumori adiacentes pressi, nec vmquam vrinae defluxum maiorem obseruare potui. Neque puer ipse tumorem ipsum premendo stillicidium celerius aut maius vllo modo efficere valuit.

§. 13.

Aeger numquam *erectione* membri virilis gauisus est, nec vllum sexus instinctum huc vsque sensit.

## Cap. II.

## MORBI NATVRA.

### §. 14.

Vsus distingui iubet inter *morbum* et inter *deformitatem*, s. *vitium conformationis*, s. *lusum naturae*. Quum igitur malum a nobis descriptum ad morbos referimus, ideoque morborum ingens agmen noua specie adaugemus, probatio nobis incumbit, hoc iure meritoque ſieri.

Quum morbus ea sit corporis humani conditio, quae actiones laedit *d*), sole meridiano clarius elucet, vrinae excretionem adeo peruersam atque actionum sexus omnium cessationem morbi denominationem *in sensu latiori* omnimode mereri, nec ad deformitates, quae vitia corporis sunt, actionum laesionem non inferentia *e*), referri posse.

At enim non quaeuis actiones laedens affectio, *in singulari casu obseruata*, ad morbos *sensu arctiori* referenda est. Ad morbum pathologice tractandum necesse nobis videtur, vt non semel tantum in vno quodam exemplo, sed

*d*) H. Boerhaave *Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis*. L.B. 1709. §. 1. p. 1. Quam *Boerhaavianam* definitionem curatiori quidem a Gaubio (*Institut. pathol. medicinal.* Edit. III. I. C. G. Ackermann. Norimb. 1787. p. 11. §. 34) propositae, morbum esse "affectionem illam corporis humani viuentis, qua fit, vt actiones homini propriae non possint apposite ad leges sanitatis exerceri," profero, quoniam haec nil nisi negatiua mihi videtur.

*e*) Gaubius l. c. p. 12. §. 38.

sed vt saepius obseruatus sit. Licet, teste Celeb. Sömmerring *f*), Natura in omnibus deformitatibus et deuiationibus certum quendam ordinem sequatur neque in infinitum ludat, attamen non quaeuis abnormis et monstrosa a conditione sana facta deuiatio ad morbos pertinet. Morbi enim conditio, sine qua affectio in morborum classem reſerri nequit, est, vt in corpore viuente et vitali exsistat; forsan quoque, vt medelam, quamuis non semper radicalem, admittat.

§. 15.

Vt igitur probemus, morbum nostrum a pluribus iam auctoribus in singulis exemplis obseruatum fuisse, Virorum sequentium Clarissimorum, qui obseruationes de eo cum orbe literato communicauerunt, in quibus inuestigandis notitiae literariae Immortalis Haller *g*), Ill. Bonn *h*), et Cl. Wolff *i*), nec non quas beneuole mihi impertiit Celeb. Blu-

*f*) S. T. Sömmerring *Abbildungen und Beschreibungen einiger Misgeburten, die sich ehmals auf dem anatomischen Theater zu Cassel befunden.* Mainz, 1791. p. 38.

*g*) Alb. v. Haller *Elem. physiol.* T. VII. Bernae, 1765. Lib. XXVI. S. II. §. 1. p. 296. 297.

Eiusd. *Opera minora.* P. III. Laus. 1768. p. 34.

*h*) In H. I. Voegen van Engelen *Genees- natuur- en huishoudkundig kabinet.* D. 3. St. 1., cuius versionem germanicam Auct. Cl. Arntz iam supra adlegauimus.

*i*) Gisberti Iac. Wolff *Diss. sistens quaestiones medicas varii argumenti.* Harderv. 1791. p. 59 sq.

Blumenbach, magna praebuerunt adminicula, mentionem facere liceat *k*): Cneulini apud Schenk *l*), Cattier *m*), Highmore *n*), Bartholini *o*), van Horne *p*), Ruysch *q*), Wilhelmi ten Rhyne *r*), † Tulpii *s*), Gockel *t*), Blancard

*k*) Scriptores, de quibus adhuc dubius ancepsque haesito, an eorum casus cum nostro in eandem classem sint referendi, signo † designaturus sum.

*l*) I. Schenk *obseruat. med.* T. II. Francof. 1600. p. 13. Obs. ix.

*m*) Isaac. Cattier *Obseruat. medicinal.* Petro Borello *communicat.* (quae Petri Borelli *historiar. et obseruat. medico-physicar.* Centur. IV. Francof. 1670. adiectae sunt,) Obs. XIX. p. 82 sq.

*n*) Nathan. Highmore *corporis hum. disquisit. anat.* Hagae-Comit. 1651. L. I. P. IV. C. vii. p. 115.

*o*) Th. Bartholini *historiar. anatomicar. rarior. Cent.* I. Hafniae, 1754. Hist. LXV. p. 114. 115.

Cf. Eiusd. *anat.* L. B. 1673. p. 196.

*p*) In Barthol. *anat.* l. c.

*q*) Fr. Ruysch *Opera omnia.* Amst. 1721. Obs. XXIII. p. 22. Fig, 23. et in literis ad Roonhuysen de anno 1665. Vid. v. Roonhuysen *Genees- en Heelkunstige aanmerkingen.* Amst. 1672. p. 66 sq.

*r*) W. ten Rhyne *meditationes in magni Hippocratis textum xxiv. De veteri medicina.* L. B. 1672. p. 284. not. *a*.

*s*) Tulpii *obseruat. med.* Amst. 1672. p. 332.

*t*) Chr. L. Gockel *de vesica spongiosa extra abdomen posita cum defectu penis*, in *Ephemerid. nat. curios.* Norimb. 1687. Dec. II. Ann. V. p. 84. Obs. xliii.

CARD *u*), PLOT *v*), MURALT *x*), BLASII *y*), LITTRE *z*), HUXHAM *a*), OLIVER, qui eundem cum HUXHAM caſum deſcribit *b*), STALPARTI VANDER WIEL *c*), † JONSTON *d*), MOWAT *e*), BERGEN *f*), WARWICK *g*), GOU-

PIL

*u*) *Hollands Jaarregiſter* 1682. T. 3. Obs. 67. p. 301.

*v*) *The natural hiſtory of Staffordſhire by* ROBERT PLOT. Oxford. 1686. Chap. 8. p. 268.

*x*) JOHANNES MURALT'S *Kinder- und Hebammen-Büchlein.* Baſel, 1697. p. 96.

y) GERARDI BLASII *obſeruat. med. rarior.* Amſt. 1700. p. 52. obs. VI.

z) *Sur un fetus humain monſtrueux* in *Mémoires de l'acad. royale des ſciences* p. 9 sq. (adiectae *Actis acad. Paris.* s. t. *Hiſtoire de l'acad. roy. des ſciences.* ann. 1709.)

*a*) In epiſtola ad IACOBUM IURIN. *Philoſ. transactions*, Vol. XXXII. for the years 1722. 23. N. 379. p. 408 sq.

*b*) In literis ad RICHARDUM MEAD. *Philoſ. tranſact.* l. m. c. p. 413 sq.

*c*) ST. V. D. WIEL l. c. Cent. II. P. I. L. B. 1727. p. 327.
Ibid. p. 359.
Ibid. p. 362.

*d*) I. IONSTON *thaumatograph. nat.* Amſt. 1732. Claſs. X. Artic. IV. p. 356.

*e*) *An account of a child born with the urinary and genital organs preternaturally formed.* In *Medical Eſſays and obſervations reviſed and publiſhed by a ſociety in Edinb.* Vol. 3. 1735. XIV. pag. 276 sq.

*f*) *Commerc. literar. ad rei med. et ſcientiae natur. incrementum inſtitut.* Ann. 1737. Norimb. p. 385 sq.

*g*) *A remarkable conformation or luſus naturae in a child.* In *Philoſ. tranſact.* Vol. XLII. Nr. 464. p. 152 sq.

PIL *h*), TENON *i*), LEMERY *k*), BÖSEFLEISCH *l*), DEVILLENEUFVE *m*), IOANNIS BUXTORF *n*), INNES *o*), NEBEL *p*), SAVIARD *q*), PALLETTA *r*), CASTARA *s*), DESGRAN-

*h*) *Sur un vice de conformation singulier*, in *Recueil period. d'observat. de medec.* etc. par M. VANDERMONDE. Juillet 1746. T. V. p. 108.

Cf. *Journal encyclopedique* T. VI. Aout, 1756. p. 113.

TH. ENGEL *Diss. de vtero deficiente.* Regiom. 1782.

*i*) *Mémoires sur quelques vices des voies urinaires et des parties de la generation*, in *Hist. de l'acad. roy. des sc.* Ann. 1761. p. 115 sq.

*k*) Apud TENON l. c.

*l*) In *Act. Acad. Erford.* T. II. (Erf. 1761) p. 431 sq.

*m*) *Mémoire sur une nouvelle espèce de hernie naturelle de la vessie urinarie, et sur une privation presque totale du sexe*, in ROUX *Journ. de medecine* etc. T. XXVII. Juill. 1767. p. 26 sq.

*n*) *Vesica vrinaria extra abdomen sub vmbilico prominens in infante recens nato.* In *Act. Helvet.* Vol. VII. Basil. 1772. p. 104.

*o*) In *Medical and philosophical commentaries by a society of physicians in Edinb.* Vol. II. P. IV. p. 437 sq.

*p*) *Descriptio atque sectio anatomica infantis trimestris, sine vesica vrinaria nati, cuius infima abdominis pars male conformata erat.* In *Hist. et comment. acad. Theod. Palat.* Vol. V. Mannh. 1784. p. 345 sq.

*q*) Casus a LE GONRT obseruatus a SAVIARD defcr. in EI. *Recueil d'observations chirurgicales.* Nouv. edit. à Paris. 1784. Obs. 118. p. 403.

*r*) J. B. PALLETTA *nova gubernac. Hunt. descriptio.* Mediol. 1779.

*s*) *Description d'un vice singulier de conformation*, in *Hist. de la soc. roy. de med.* ann. 1780 et 81. à Par. 1785. p. 323 sq.

GRANGES *t*), LE SAGE, qui descriptionem anatomicam viri, a GOUPIL XXXII annos ante examinati, profert *u*), FLAJANI, qui partes deformes, ab eo praeparatas in Museo anatomico Spiritus St., quod Romae est, servat *v*), PENCHIENATI *x*), † COLLIANDER *y*), BOSSON *z*), STOLTE *a*), CAMPER *b*), BONN *c*), ARNTZ *d*), † SÖMMER-



*t*) l. c.

*u*) *Descr. anat. d'un vice de conformation de la vessie et des parties genitales d'un homme*, in ROUX *Journ. de medec.* T. LXXV. 1788. p. 291.

*v*) *Osservazione anatomica fatta sopra un uomo, in cui si trovarono mancanti per difetto di conformazione la vescica dell' orina, la verga, et lo scroto, con altre particolarità delle parte inferne del pelvi spettanti alla generazioni.* In GIUS. FLAJANI *nuovo metodo di medicare alcune malattie spettanti alla chirurgia.* In Rom. 1786. p. 131 sq.

*x*) *Obs. anatom. sur une fille, qui avoit passée pour être née sans nombril* in *Mém. de l'acad. roy. des sciences de Turin.* Ann. 1784-85. P.I. p. 387.

*y*) *Weekokskrift och naturforskaren.* Stockh. 1787.

*z*) *Verhand. v. Haarlem* T. 19. p. 313. *Ib.* T. 12. p. 135.

*a*) *Beschryving der wanschapene teeldeelen en waterwegen van een Man, en eenes werktuigs* etc. Zwolle, 1770.

*b*) Apud STOLTE l. m. c. p. 3.

*c*) L. c. et *Verhand. der Holland. Maatschappy* D. 19. St. 1. p. 321. Cf. *Translation of a dutch description of a complicated deformity by* BONN. Amst. 1791.

*d*) In translatione germanica descriptionis Bonnianae supra cit. p. 29. not. *)

MERRING *e*), WOLFF *f*), qui casus, a Celeb. SÖMMERRING, qui quatuor vidit, secum communicatos et breuem dissectionis historiam refert, cuius casus ab Ill. SÖMMERRING praeparatum specimen, vasis sanguiferis artificiose repletis, in Museo academiae militaris Viennae seruatur.

Eundem, quem Ill. BONN descripsit, iuuenem, Ill. quoque BLUMENBACH iam XXX. Nouembris, 1784. Gottingae, et iterum mense Ianuarii, 1792. Londini obseruauit.

Alium adhuc casum Cl. MICHAELIS Milani obseruauit, et, quae Viri Experient. est, humanitate de eo certiorem me fecit.

Alia procul dubio exempla exstant non descripta; alia, descripta quidem, quae nondum inueni.

§. 16.

Ex iis igitur, quae supra (§. 14) de morbi natura in genere et de eo, quo a sola vitiosa conformatione differt, memorata sunt, atque ex magna exemplorum copia, in quibus malum, de quo sermo nobis est, semper eodem modo se habuit, inque singulis tantum rebus discessit, colli-

*e*) A. v. HALLER *Grundriss der Physiol. Nach der vierten, mit den Verbesserungen und Zusätzen des H. Hfr.* WRISBERG (praec. pie venerandi) *vermehrten, Ausgabe aufs Neue übers., und mit Anmerkungen versehen durch Hrn. Hofr.* SÖMMERRING, *mit einigen Anmerkungen begleitet und besorgt von* P. F. MECKEL. Berlin, 1788. p. 589. not.*)

*f*) L. c. p. 62.

colligere liceat, ad *morbos*, scil. ad morbos *chirurgicos*, qui a caussa, vt dicunt topica, toti corpori non communi, oriuntur, quique medelam tantummodo topicam poscunt, et ad morbos, quos dicunt *congenitos*, hoc malum, aeque ac e. c. labium leporinum, referendum esse.

§. 17.

De morbi natura et de explicatione phaenomenorum, oculis obuiam venientium, disquisituri, primum *anatomicam* morbi *descriptionem* ab optimis obseruatoribus sumtam, in medium promamus. Tunc praecipuas singulorum de singulis *sententias* proferre, et de *rationibus dubitandi et decidendi*, quoad virium modulum, quaedam disserere, nostrum erit.

§. 18.

Supra offam fungosam (Fig. C) semper inuenta est plica quaedam cutanea (Fig. B), in quam *funiculus vmbilicalis*, ex solitis vasis constitutus, fetui insertus est, quod ex sectionibus fetuum aut recens natorum elucet *g*).



*g*) Tenon l. c. Obs. 1. p. 116.
Cattier l. c. p. 84.
Littre l. c. p. 10.
Nebel l. c. p. 347., qui in figura funiculum vmbilicalem rite deligatum delineari curauit.
Gockel l. c.

### §. 19. a.

Ex omnibus casuum huc pertinentium descriptionibus eorum, a quibus sectio instituta est, constat, *vesicam vrinariam a loco sueto semper abesse h)*.

### §. 19. b.

In corporis fungosi extra abdomen positi foramina (Fig. DD), per quae, vti notauimus, lotium exstillat, stylum inseri posse, ab omnibus fere supra (§. 15.) denominatis auctoribus annotatum est *i*). Sectione autem patet, hasce papillas nil aliud esse, quam *vreterum*, a renibus tendentium, *aperturas k*), ita, vt stylus, vreteribus impositus, ex oſſae huius foraminulis prodiret *l*), atque alter per

*h*) Gockel l. c.
Muralt l. c.
Tenon l. c.
Cattier l. c.
Littre l. c.
Nebel l. c. p. 349.
le Sage l. c.
Blasius l. c.
Castara l. c. p. 324.
Buxtorf l. c. p. 105.
Flajani l. c. p. 133.

*i*) Aegrotus, ab Innes obseruatus, ipsemet stylum sibi applicauit. Innes l. c. p. 437.

*k*) Cf. auctores modo citati et Cl. Wolff descr. casus ab Ill. Sömmerring obs. (Wolff l. c. p. 66.)

*l*) Muralt l. c. p. 96. 97.
Nebel l. m. c.
Castara l. m. c.

per papillas hasce in vreteres duci posset, et vt aër, sub renibus in vreteres missus, per foramina haec transiret *m*). Vreteres autem non recta, sed oblique quodammodo in foramina externa aperiuntur *n*).

§. 20.

*Vreteres* latitudine et capacitate instructi sunt, naturali longe maiori. Licet nimirum ab obseruatione *Littriana o*) discesseris, vbi vreteres maxime dilatati erant, quod autem forsan hoc in casu a calculis vrinariis, in cadauere repertis, pendere potuit *p*), neque distentionem, a naturali longe abhorrentem peluis renalis et vreteris dextri lateris in casu, quem LE SAGE denotauit *q*), agnoscere velis, quoniam in rene et vretere dextri lateris pus contentum erat, — attamen vreteris sinistri lateris, quamquam non tantum a natura discedat, dilatatio, ab eodem auctore obseruata *r*), nec non aliorum, v. c. MURALTI *s*), BLASII *t*), STALPARTI VANDER WIEL *u*), NEBEL *v*), FLAJANI

*m*) TENON l. c. p. 116.

*n*) FLAJANI l. c. p. 134.

*o*) LITTRE l. c. p. 12.

*p*) Cf. Celeb. G. FR. HILDEBRANDT (praec. pie venerandi) *Lehrbuch der Anatomie des Menschen*, B. III. Brschweig, 1791. p. 554. not. †. ad §. 2184.

*q*) LE SAGE l. c. p. 294.

*r*) l. m. c.

*s*) "*Die* vreteres *eines Fingers groſs beiderseits.*" MURALT l. c.

*t*) "Vreteres magni admodum." BLAS. l. c.

*u*) "Vterque vreter naturali duplo, triploue crassior." STALP. V. D. WIEL l. c. p. 360.

*v*) "Vreteres iusto ampliores." NEBEL l. c. p. 349.

JANI *x*) — in apricum ponunt sententiam, hanc vreterum distentionem naturae huius mali congruam esse.

LITTRE *y*) obseruauit, quod, vt paulo infra elucebit, notatu vtique dignum est, vreterem dextrum in vesiculam quandam, septem linearum longitudine, et quatuor linearum latitudine in peluis sinistrum latus abiisse, cuius collum in externa ventris superficie aperiebatur. Vreter dexter sine intermedio loco in lucem prouenit. Disertis adhuc verbis ab auctore annotatur *z*), quod hinc iam sequitur, vreteres a se inuicem oblique secari, cuius rei etiam LE SAGE mentionem facit *a*) *b*).

§. 21.

*Renes*, nisi a caussa, huc non pertinente, morbo correpti fuerint, ceterum sani inueniebantur, si nempe a pelui renali, magnitudine et latitudine adeo extensa, vt a FLAJANI cum vesicula comparetur *c*), discesseris.

§. 22.

*x*) "Gl' uretri — nel resto non erano che del doppio piu grandi del naturale." FLAJANI l. c. p. 133.

y) l. c. p. 12. 13.

z) l. m. c.

*a*) l. c. p. 294.

*b*) Huc quoque pertinet, aegrotum, quem INNES obseruauit, applicato per vreteris orificium stylo, dolorem saepe in *altero* latere sensisse. INNES l. c. p. 438.

*c*) "Trovai il principio degl' ureteri detto Pelvi molto dilatato, e rappresentante come due picciole vesciche." FLAJANI l. c. p. 133.

§. 22.

Corpus, *glandem penis referens* (Fig. F) foramine autem plane carens, sicut sola inspectio iam plerosque obseruatores docuit, reuera *bifidum* esse, anatomica disquisitione probatur *d*).

§. 23.

*Testiculi* semper naturales vel in scroto, vel ante eorum descensum in inguinibus continebantur *e*). Gockel *f*) nullam partium genitalium anomaliam inuenit; qua in re, quod ad *vasa spermatica*, *testiculos* et *ductum deferentem* attinet, alii auctores cum eo consentiunt. De *finibus* autem *ductus deferentis*, de *vesiculis seminalibus*, et de eorum *ductu excretorio* alii auctores alias tradunt obseruationes *g*). Sic v. c. Tenon, ductus deferentes in fundo peluis in duo tubercula alba finiri, auctor est, quae membranis quibusdam

dam

*d*) Cattier l. c. p. 83.
Tenon l. c.
St. v. d. Wiel l. c. p. 359.
le Sage l. c. auctor est, penem vnum tantum corpus cauernosum habere.

*e*) Sic v. c. in *Matthia Vssem*, quum ab Ill. Bonn descriptus est, nondum in scroto reperti sunt, quo nunc, teste Ill. Blumenbach et Cl. Arntz (l. c.), iam adsunt.

*f*) l. c.

*g*) Innes (l. c. p. 438.) de iis coniectat: "*it is probable that they* (sc. vasa deferentia) *terminate in the rectum, and that the semen is discharged with the faeces.*"

dam inserta, cum partibus externis non coniuncta esse videbantur *h*). — Stalp. vander Wiel in basi penis corpus glandiforme reperit, in quod ductus deferentes inserebantur. Vesiculas seminales non vidit *i*). — Ibidem ductus aperiri, quos vasa eiaculantia vocat, Cattier refert *k*), qui vesicularum seminalium mentionem omnino non facit. — Littre vas deferens testiculi dextri in vreteris eiusdem lateris cauitatem inseri, ductum autem a sinistro testiculo prouenientem, in vesiculae supra (§. 20) memoratae cauitatem abire narrat *l*). Nec prostatam glandulam, nec vesiculas seminales repertas fuisse, annotat *m*). — le Sage autem vesiculas seminales, sub renibus positas renumque pelui ope telae cellularis adhaerentes, inuenit, duobus ductibus, altero deferente, a testiculis proueniente, qui cum vasis spermaticis per telam cellulosam laxam coniunctus erat, altero, quem pro excretorio habet, et qui in corpore fungoso terminabatur, praeditis *n*). — Flajani refert, se in inferiori corporis fungosi interna parte duorum ductuum vnionem vidisse, aliquantum vesiculis seminalibus similem, quae autem nil aliud erat, quam ductus deferentis continuatio, cum foraminulis externis (Fig. G) cohaerens, a spermatis commoratione dilatata. Prostatae quoque glandulae analogon, musculorum autem erectorum penis

*h*) Tenon l. c. p. 116.

*i*) Stalpart l. c. p. 359.

*k*) Cattier l. c. p. 83.

*l*) Littre l. c. p. 13.

*m*) L. m. c. p. 14.

*n*) le Sage l. c. p. 294. 295.

penis et bulbocauernosorum s. acceleratorum vrinae ne vestigium quidem vidit *o*).

§. 24.

*Ossium pubis inter se distantiam* iam a HUXHAM *p*) et OLIVER *q*) coniectatam, praeter enchiresin Bonnianam (§. 10), cultro quoque anatomico confirmatam esse, inter alios LE SAGE *r*), LITTRE *s*), CASTARA *t*), FLAJANI *u*) — testes sunt. TENON effectum huius distantiae, scil. spatium inter vtrumque femur, delineari curauit *v*), de re autem ipsa non loquitur.

§. 25.

*Tubercula oblonga* in inguinibus posita, a plerisque auctoribus annotata, ex mera adipe constare NEBEL nos docet *x*).

§. 26.

Alias ad scopum nostrum non spectantes anomalias, a caussis singularibus in singulis nonnullis casibus effectas,

 hic

*o*) FLAJANI l. c. p. 134.
*p*) l. c. p. 409.
*q*) l. c. p. 417.
*r*) l. c. p. 296.
*s*) l. c. p. 15.
*t*) l. c. p. 324.
*u*) l. c. p. 132. Tab. 3. bonam peluis, in Museo anat. Spir. St. adhuc seruati, delineationem dedit.
*v*) TENON l. c. Pl. 4. ad p. 124.
*x*) NEBEL l. c. p. 349.

hic praetermittamus. Ad recensendas potius praecipuas variorum sententias de corpore ouato, in quod, secundum supra dicta, vreteres terminantur, nos vertamus.

§. 27.

De *partibus* enim *genitalibus*, quamquam abnorme formatis, omnes fere consentiunt, quibus eiusmodi homines virilis sexus examinandi occasio facta est, penem esse male formatum, cum praeputio, ope frenuli ei appenso. Corpusculum illud pallidum, de quo §. 5. sermo fuit, *caput gallinaginis* esse cum ductuum deferentium aperturis, sicut Ill. Bonn primum coniectauit *y*), secundum obseruationes Stalparti v. d. Wiel, Cattier, Flajani, forsan quoque le Sage supra (§. 23) memoratas, magnam acquirit probabilitatem; obseruatione a Flajani publicata, nimirum e foraminulis his interdum humorem album, viscosum, spermati similem, effusum fuisse *z*), quod et in viro a Cl. Michaelis obseruato ita fuit, veritatis speciem nancisci videtur; et experimento, ab Ill. Sömmerring instituto, qui quum ductum deferentem, omnibus in situ naturali relictis, mercurio adeo repleuit, vt hydrargyrum efflueret, ex hoc ipso loco mercurium prodeuntem vidit *a*), extra omnem dubii aleam positum esse censeo.

§. 28.

y) Bonn in vers. germ. p. 35.

z) Flajani l. c. p. 132. 133.

*a*) Wolff l. c. p. 66.

§. 28.

*Corpus ouatum*, de quo nunc agimus (Fig. C), a nonnullis obseruatoribus pro *fungo* absque vlla alia disquisitione habetur *b*). Quae quidem sententia, si solummodo externum huius massae habitum respexeris, oculorum testimonium prae se fert. At enim vero muci in hoc corpore facta secretio, quae sane in fungo, organisationis experte, non adest, dein insignis eius sensibilitas, quae eiusmodi fungo haud alio modo, quam inflammatione inesse poterit, quae quidem inflammatio non per tantam annorum seriem sine exulceratione maneret *c*), denique semper in eo detecta vreterum insertio, opinionem hancce refutare videntur.

§. 29.

*Herniam* massam hanc Cneulinus vocat *d*). Quum autem hernia locum habere nequeat, nisi vbi viscus e cauo

 suo

*b*) Cattier l. c. p. 84.
Bartholinus l. c. p. 114.
Mowat l. c. p. 276.
Warwick l. c. p. 153.
Saviard l. c. p. 404.
le Sage l. c. p. 291.
Nebel l. c. p. 347. 349.

*c*) Vnicum tantum inueni exemplum, vbi in viro xlviii annorum tegumenta externa in corporis ouati ambitu, exulcerarentur. v. le Sage l. c.

*d*) Apud Schenk l. c. p. 13.

suo in aliud recedat *d*), hic autem corpus, de quo Cneulinus nondum inuestigauit, vtrum viscus sit, nec ne, in aliud cauum omnino non recesserit, sed extra abdomen sit *prolapsum*, opinio eius a veritate abhorret. Neque tamen negari potest, herniam *alia ratione* adesse. Scil. Castara inuenit, internam corporis prolapsi faciem cauum quoddam constituere, peritonaeo obductum, in quo intestina posita erant *e*).

§. 30.

Huxham, qui in femina XXIII annos nata *f*), casum nostrum obseruauit, dubius haesitat, vtrum hanc massam pro *fune vmbilicali* male a partu abscisso, male dein curato habeat, nec ne *g*). Annuit autem huic sententiae, exemplis, vbi vrina per vmbilicum etiam in adultis fuit excreta *h*), nixus. Meatus duos vrinarios pro vreterum orificiis habuisset, nisi experimentum ab eo institutum huic

*d*) Cf. Celeb. A. G. Richter, praeceptoris pie colendi, *Abhandlung von den Brüchen*, Gött. 1785. C. I. p. 2.

*e*) Castara l. c. p. 324.

*f*) In qua notatu dignum mihi videtur, eam per vaginae foramen adeo exiguum, vt summa etiam penis glans vix fuerit intromissa, multo minus virga, et vt chirurgus aegre digitum introducere potuerit, imo parturienti incisione chirurgica opem afferre debuerit, grauidam factam fuisse.

*g*) Huxham l. c. p. 408. 409.

*h*) Exempla ex Arnisaeo, Haller, Peyer, Littre et Ill. Wrisberg sumta, inuenies apud Ill. Hildebrandt l. c. p. 568.

huic sententiae contradicere ei visum fuisset. Mulieri scil., iam a partus difficilis et incisionis chirurgicae ope demum facti tempore prolapsu vteri diuexatae, vterum quum fortius intruserit, exsilierunt e meatibus vrinariis riuuli duo; argumentum sane, vti concludit Huxham *i*), cystidis cuiusdam, vrinam excipientis.

Pro fune autem vmbilicali, quamquam et Innes *k*) hoc statuit, tumorem nostrum non esse habendum, ex iis patere videtur, quae partim de funiculo vmbilicali, ex solitis eius vasis formato (§. 18), partim de dissectionibus anatomicis tumoris ipsius, vreterum orificia continentis supra (§. 19 b.) memorata sunt. Lotii autem procursum vehementiorem, vteri repositionem excipientem, alio modo explicare nequeo, nisi statuam, hoc in casu, sicut in exemplo a Littre obseruato (§. 20), vesiculam quandam, ab vno alteroue, aut ab vtroque vretere constitutam, adfuisse. Vesica igitur vera a statu naturali aberrans si iam adest, quod infra elucebit, hi casus ad eos pertinent, vbi vesica vrinaria adfuit duplex *l*).

§. 31.

*i*) L. c. p. 410. 411.

*k*) L. c. p. 439.

*l*) *Vesicae* sic dictae *duplicis* obseruationes praeter exemplum illustre magni Casauboni (de quo in primis videatur I. I. Mangeti *theatr. anat.* Genev. 1716. p. 409 sq.) inter alia inueniuntur in Veslingii *syntagm. anat.* ex ed. Blas. p. 81, in I. Riolani *anthropograph.* p 247, in Ruysch *obs. anat. chirurg.* obs. VIII, in Barthol. *anat.* p. 119, in Tenon *Mém. de l'ac. d. sc. de Paris*, 1768. p. 48. N. II., in Haller *op. min.* T. III. p. 29. — et in

Eiusd.

§. 31.

Oliver *m*), qui eundem cum Huxham obſeruauit caſum, et eiusdem poſt repoſitum vterum adaucti vrinae procurſus mentionem facit, vrinam per *vrachum* e veſica adſcendere credit; cui ſententiae etiam Goupil *n*) fauet. Equidem cenſeo, contra eam eadem argumenta, quibus *Huxhamianam* opinionem impugnaui, eſſe proferenda.

§. 32.

Highmore *o*), qui exemplo a ſe enarrato contra Bartholinum, vrachum eſſe peruium, probare ſtudet, ex ſtricta vaſorum vmbilicalium ligatura malum ortum eſſe credit, vnde nempe vrina, quae nec per vmbilicum, nec per vllam aliam viam excerni potuit, infra vmbilicum cutem exederit et emanando hancce eroſerit et excoriauerit. At enim vero haec *cutis per vrinam effecta eroſio* potius in ipſo vmbilico *p*), quam in parte infra eum ſita fieret, etſi rationem habere nolimus, lotium per ipſa vreterum orificia euacuari. Ceterum et in hoc caſu veſiculam quandam, vt in caſibus a Littre, Huxham et Oliver obſeruatis (§. 20. 31. 32.) adfuiſſe, ex eo colligimus, quod aegrum

Eiusd. *El. phyſiol.* T. VII. L. XXVI. Sect. II. p. 307, vbi aliarum adhuc obſeruationum ſeries citatur.

*m*) L. c. p. 417.

*n*) L. c. p. 109.

*o*) L. c.

*p*) Cuius exemplum v. in *Edinb. medic. commentaries*. Vol. VI. P. I. (Lond. 1779) p. 299.

aegrum saepe compressione fortiori externa facta vrinam emittere potuisse, auctor refert.

§. 33.

Cl. FLAJANI *q*) sententiam fouet, corpus ouatum hocce *loco crinium* tempore pubertatis ortum fuisse, relatione aegri, qui mendicus annorum LXX erat, nixus. Hic enim narrauerat, vsque ad aetatis annum decimum quartum tegumenta pubis sibi alba et maculis expertia fuisse, exceptis duobus foraminulis, e quibus vrina exstillauerit; dehinc autem tumorem ortum esse, ad vigesimum quartum annum vsque semper auctum. A suspicione licet discesseris, eiusmodi hominem, ex infima plebe ortum, forsan non satis in primo vitae stadio de malo suo adeo instructum fuisse, vt in anno LXXmo historiam eius rite enarrare potuisset, ponas imo, tumorem in prima aetate non plane esse prolapsum, hinc certe, eum crinium loco ortum esse, sequi non videtur.

§. 34.

Alias opiniones de natura huius mali, RUYSCHII v. c., qui chaos *r*), v. HORNE *s*), qui glandulosum corpus tumorem vocabat, LEMERY *t*), qui cum vase fusorio eum comparabat, — praetermittamus, quum earum refutatio ex [illegible] dictis

*q*) L. c. p. 132.

*r*) *Op. omn.* l. c.

*s*) Ap. BARTHOLIN l. c. p. 196.

*t*) Ap. TENON l. c. p. 115.

dictis et dicendis patere nobis videtur. Eorum potius sententias, quos ad veritatem propius accessisse aut eam plane inuenisse credimus, proferamus.

§. 35.

Pro *vesica vrinaria*, quam plane deesse alii credunt *u*), tumorem eminentem rubicundum Stalpart vander Wiel et Gockel habent. Hic "vesicam protrusam foras et in hoc ipsum corpus carneo-spongiosum mutatum" *v*), ille "vesicam omnino planam, collapsam, in se inuicem compressam et nullo modo concauam" *x*) fuisse, referunt. Cui autem sententiae obstat, quod intelligi omnino nequit, quo modo in anteriori et externa vesicae facie vreterum orificia animaduerti potuerint.

§. 36.

Eadem obiectio sententiis a Plott, qui pro collo vesicae *y*), a Tenon, qui pro hernia (potius pro prolapsu) partis posterioris vesicae et vreterum *z*), et a Castara, qui pro fundo vesicae *a*) tumorem habet, prolatis, aduersari videtur, nisi ponamus, hos auctores superficiem vesicae internam conspexisse sibi habuisse persuasum; quae si ita sint, ad nunc recensenda pertinent.

§. 37.

*u*) v. c. Cattier, Ruysch, Blasius, Horne — locis citatis.

*v*) Gockel l. c. p. 84.

*x*) Stalpart l. c. p. 160.

*y*) l. c. p. 268.

*z*) l. c. p. 117.

*a*) l. c. p. 324.

§. 37.

*Vesicam vrinariam inuersam* morbum hunc esse, Viri Cl. Devilleneufve *b)* et Bonn *c)* primum demonstrarunt. Vterque pro huius theoriae inuentore haberi potest; quamquam enim *hic* serius *illo* scripserit, facile descriptionem, a Devilleneufve editam, ei non fuisse notam, ex eius tractatu patet. Hocque respectu Cl. Wolff *d)* asserere videtur, a Bonn tamquam inuersionem vesicae vitium hocce *primum* esse demonstratum. Devilleneufve, qui casum a se obseruatum pro primo et vnico habere videtur *e)*, *herniam* vesicae inuersae adesse putat *f)*, id, quod supra (§. 29.) iam refutatum est, vbi, ad *prolapsus* rem potius pertinere, probare studuimus.

§. 38.

*Momenta*, quibus nixi, sententiam, morbum *vesicae vrinariae inuersae prolapsum* esse, pro vera habendam censeamus, in primis sequentia nobis videntur:

1. *Situs* corporis tumentis in hypogastrica abdominis parte, quam pubis regionem vocant, vesicae in abdomine contentae situi respondens.

 2. Huius

*b)* l. c. p. 27.

*c)* l. c. p. 39.

*d)* l. c. p. 65.

*e)* l. c. p. 27. not. *a.* ait: "*Les mémoires de l'acad. des sciences de Paris, Thomas Bartholin en son livre Historiar. anatom. rarior. centuriae*" etc. "*et autres anatomistes observateurs, que j'ai consultés, ne parlent de rien, qui en approche.*" Supra autem casus, in vtroque libro recensitos, citauimus.

*f)* l. c.

2. Huius *vesicae* in loco, naturali conditioni congruo, *defectus*, non solum ab obseruatoribus, in hanc rem cultro anatomico inquirentibus, verum etiam Bonniana in ani orificium digiti applicatione, confirmatus.

3. Corporis prolapsi insignis *sensibilitas*, ab omnibus fere auctoribus, excepto solo Goupil, obseruata, cuius autem testimonio *g*) relatio eiusdem casus a le Sage *h*) nobiscum communicata, valde obstat. Quae vero sensibilitas maxima sensibilitati internae vesicae faciei valde congrua est.

4. *Muci* in eius superficie semper facta *secretio*, qui muco in naturali conditione ad tuendam ab vrina acri vesicam et eam, vt lotium transeat, lubricam reddendam, secreto, simillimus est.

5. *Vreterum* in corpus hocce non solum semper, sed et a Flajani (§. 19.) eo modo obseruata *insertio*, quo vreterum in naturali vesicae statu insertio fieri solet, i. e. oblique per eius membranas facta.

6. Ingeniosum illud *experimentum Bonnianum*, quum in cadauere viri bene formati corpora cauernosa a se inuicem dissecaret, et incisione vrethram, symphysin ossium pubis, integumenta abdominis, et anteriorem vesicae partem diuideret, tunc autem posteriorem vesicae partem digito ei applicato adeo protruderet, vt eius superficies interna

g) "*Mais sans un sentiment très-vif.*" Goupil. l. c. p. 108.
h) L. c.

interna ſieret externa, et cum vreterum aperturis promineret *i*). Id, quod naturalem morbi conditionem optime demonſtrat.

§. 39.

Hic veſicae inuerſae prolapſus ſemper *morbus* eſt *congenitus*. Datur quoque veſicae per vrethram prolapſus *acquiſitus*, cuius exemplum v. c. de Haen *k*) in femina obſeruauit, vbi antecesserant hernia inteſtinalis et prolapſus vaginae, male curata. Mulier violenta calculi digitis ſuis e veſica per vrethram eductione effecit, vt veſicae, eiusdemque inuerſae, prolapſus integer ſieret. At enim vero eiusmodi caſus huc plane non pertinent, quum prorſus aliter ſe habent, quoniam nec vrethra biſida, nec imperforata eſt.

§. 40.

Notatu dignum adhuc videtur, me nullum exemplum inuenisse, vbi morbus in animalibus aliis obſeruatus eſſet.

§. 41.

Experientiarum, de ſecretione et excretione vrinae factarum, et experimentorum, cum remediis diureticis inſtitutorum, mentionem nunc facerem, niſi ad ſcopum huic libello propoſitum haec non pertinere mihi viderentur. Forſan in poſterum alio loco obſeruationum, quas Collot

 non

*i*) Bonn l. c. p. 37.

*k*) *Rat. med.* T. I. Vindob. 1757. p. 121 - 128.

non sine maximis difficultatibus instituere poterat *l*), et quibus hoc in casu occasio facta est optatissima, publice rationem reddam. Hic tantum addere liceat:

1. Ex vreteris sinistri orificio maiorem saepe quam e dextro vrinae copiam profluxisse, quod ex vicinitate renis sinistri et aortae deriuo, quo fit, vt sanguis maiori copia et vi ad huncce renem proueniat, eiusdemque secretionem augeat. Quomodo in casibus vbi vreteres sese secabant, res se habuerit, nescio.

2. Ex nulla alia vesicae parte vmquam vrinam profluxisse, quam ex vreterum orificiis. Inde, si a statu morboso ad sanum valeret consequentia, vias clandestinas ex tractu intestinali *ad vesicam* abeuntes, non dari, colligerem.

§. 42.

In duobus exemplis, scil. in casu a Cl. Michaelis obseruato et in eo, quem Innes *m*) describit, erectio quaedam glandis interdum aderat. An hac de re forsan pro explicanda penis erectione quaedam colligi queant? Certe haec erectio absque musculari vi facta est (§. 23.).

*l*) Collot (*Traité de l'operation de la taille* p. 200.), qui feminae magnum per vrethram calculum e vesica extraxerat, hanc dilatatam vrethram et vesicam cereo collustrauit, et lotii per vreteres exitum obseruauit.

*m*) "Though the penis be imperfect, yet when the glans is titulated with a warm hand, there is an evident swelling."

Innes l. c. p. 438.

Cap. III.

## Cap. III.

## MORBI AETIOLOGIA.

§. 43.

*Cauſſa morbi proxima* in genere nil aliud nobis eſſe videtur, quam *eſſentiale morbi*, adeo, vt omnimode rectam morbi definitionem ſi protulero, ſimul morbi cauſſam proximam propoſuerim. Cauſſa igitur proxima morbi, de quo agimus, atque ſimul eius natura, eſt *prolapſus veſicae inuerſae cum praeternaturali oſſium pubis et partium genitalium formatione.*

§. 44.

*Cauſſa efficiens* totum morbum in hiatu oſſium pubis quaerenda mihi videtur, qui, vti ſtatuere certe licet, ſemper cum hoc morbo coniunctus eſt. Nam ex vnico exemplo, a Celeb. I. G. Walter *o*) prolato, qui eiusmodi oſſium pubis hiatum deſcribit, et quam optime delineari curauit, abſque morbo de quo agimus, nihil aliud ſequitur, quam dari eandem cauſſam ſine eodem effectu, id, quod in arte medica ſaepiſſime accidit. Seceſſione oſſium pubis a ſe inuicem corpora cauernoſa ad latera mouentur, vrethra et veſicae anterior pars diſrumpuntur. Cauſſa, ſymphyſeos oſſium pubis rupturam efficiens (§. 47.), etiam in veſicam ruptam agit, eamque inuertit et per ſolam in abdominis facie aperturam, ſcil. per annulum vmbilicalem, protru-

*o*) *De diſſectione ſynchondroſeos oſſium pubis in partu difficili.* Berol. 1782. p. 22. §. 24 ſq.

protrudit, quae apertura cutis tensione ossium pubis hiatum excipiente versus inferiora trahitur, locumque solitum derelinquit. Vrinae excretio nunc per vreteres fit, atque omnis vrethrae apertura plane euanescit. Integumentis abdominalibus ossium hiatu a loco suo demotis, ani quoque orificium plus iusto versus anteriora ponitur, et in cute abdominis duae plicae formantur, in quibus adeps deponitur. (Fig. EE.)

§. 45.

*Caussa praedisponens* duplici, si quid recte videam, ratione spectanda est. *Generalis* enim caussa, hominem prae ceteris animalibus huicce morbo obnoxium reddens, secundum Ill. Blumenbach doctrinam in peculiari humanae peluis fabrica et structura quaerenda est. Nimirum peluis plus quam in vllo alio animali in latitudinem protracta symphysin ossium pubis breuiorem tenerioremque habet, ideoque ad eius ruptionem discessionemque magis prona dici potest. *Specialem* autem caussam, hunc vel illum fetum prae aliis ad huncce ossium pubis hiatum praedisponentem, quamuis facillimum sit, hypotheticum fetus in vtero materno situm statuere, quo caussa in eum agens occasionalis ossa pubis separare queat, proferre non audeo, quum factis, quibus semper hypothesis, quae non ad opinionum commenta, quae, vt ait Cicero, delet dies, referenda est, plane careo.

§. 46.

De *caussa* morbi *occasionali* nunc agentes, mentionem facere oportet opinionis multorum, qui morbum ab *effectu imaginationis maternae* oriri putent. Ruysch *p*), v. c., Mowat *q*), Bergen *r*), a terrore, Gockel *s*) a vitio partium genitalium genti solito, Saviard *t*), qui similitudinem quandam vesicae cum podice gallinae inuenisse sibi persuasit, a desiderio matris per tempus ex quo grauida esset facta, gallinam comedendi, Cestari *u*), qui casum nostro haud absimilem narrat, a mutatione desiderii matris fetum gestantis, modo puerum modo puellam cupientis, — morbum

*p*) "An ex terrore? Mater enim paucis ante partum septimanis ex alto ceciderat." Ruysch *Op.* l. c.

*q*) "The mother tells, that in May, before she was brought to bed of her first child, she was struck in the belly with a cow's horn; she recoverd the hurt in two or three days, but the fright remained longer with her, and did terrify her sometimes in her sleep." Mowat l. c. p. 277.

*r*) "Mater est rustica Lebusina, quae, vt ipsa fatetur, medio circiter gestationis tempore a vicina sua vocata est, vt suem, cuius intestinum rectum prolapsum erat, teneret; praeter opinionem vero sus per pedes eius transcurrit, quo facto territa quidem, postea tamen sanum fetum enititur, hac genitalium deformatione excepta." Bergen l. c. p. 385.

*s*) l. c.

*t*) l. c. p. 403.

*u*) In Viniz. Orteschi *giornale di medicina*, T. III. p. 78.

Bösefleisch *c*), Castara *d*), aliique, quorum recensio inutilis foret, monent, eiusmodi malum omnem medelam radicalem respuit, quum nec cauum vesicae, nec vrethra integra adest.

§. 50.

*Cura* autem, quam dicunt *palliatiuam* locum habere omnino potest. Ad optime eam instituendam requiri nobis videtur, vt vrina cum minimis aegroti incommodis in vase colligatur, ex quo prout libet eam effundere potest.

§. 51.

Primus, qui *machinam* huc spectantem inuenit est Cl. Stolte *e*), quae secundum Bonnii correctionem talis est *f*): In capsula quadam scutiformi, vbique abdomini rite accommodata, vesica, glans et scrotum continentur. In inferiori parte in infundibulum abit, quod in vas, inter femora situm et per epistomium euacuandum, aperitur. Superne fasciis ad abdomen applicatur, quae in tergo sese secant et in abdomine globulo fibulatorio iunguntur.

Quam-

*c*) "A la seule inspection je reconnus facilement, qu'il n'étoit susceptible de recevoir aucun secour, qu'il ne devenoit, qu'un objet de pure curiosité." Castara l. c. p. 323.

*d*) "Quum chirurgica operatio ob conformationem istam, situmque partium solidarum, a partu iam peruersum, periculi valde plena, quin inutilis futura fuisset, ita vt plures peritissimi medici et chirurgi, etiam exteri, eam pro plane impossibili declararint" — etc. Bösefleisch l. c. p. 435.

*e*) l. c.

*f*) Ill. Bonn l. c. p. 42.

Quamquam me non fugiat, quanta haec machina afferat commoda, attamen vas illud, inter crura contentum, ingressum aegroti valde difficilem reddere mihi videtur.

§. 52.

Cl. Dan. Lobstein *g*) incommodum hocce ita corrigere vult, vt in inferiori quodammodo acuminata capsulae parte saccus e corio paratus ope trochleae affigatur, in quo vrina colligatur, qui quum repletus sit, facile solui et euacuari possit. At enim vero necesse mihi videtur, vt quauis externa in saccum facta pressione lotium versus superiora prematur, et in capsulam redeat. Id, quod valuula, quam Cl. Lobstein in inferiori capsulae parte applicauit, vix euitari poterit. Etsi valuulam adeo mobilem, vt vna vel paucis vrinae guttulis aperiri queat, et tamen vrinae a vehementiori pressione redeuntis impetui sufficiente ratione resistat, factum esse ponamus, attamen saccum inter femora non sine magnis incommodis gestari posse censeo.

§. 23.

Audeo itaque, aliam mutationem proferre. Capsula scil. aenea, in margine corio, quod oleo perfusum sit, ob-



*g*) Cuius machina descripta est in Cl. Arntz versione germanica tractatus Bonniani nota *) ad p. 29. et in Cl. C. F. Brockhausen *Diss. de excretionis vrinae impedimentis a vitiis membri virilis* Argent. 1781.

ducta, abdomini rite applicetur, ita, vt vesica et partes genitales in ea contineantur. Fasciis vtrique ansae, capsulae lateribus affixae, applicatis, supra coxas in abdomine globulo fibulatorio, et loris, vtrumque femur ambientibus, firmetur. Inferior eius pars instar infundibuli in fistulam flexilem e corio paratam, sed annulis metallicis in eodem semper lumine retentam, exit, per quam lotium in vasculum planum abit, cui ope trochleae affigitur, quodque vas aegrotus in braccarum funda reseruat, et quod toties, quoties repletum est, retorquere et euacuare potest.

# *T H E S E S.*

I.

*Caussa praedisponens morbi est morbus.*

II.

*Bilem iam ante eius in hepate factam secretionem paratam in sanguine contentam esse (v. Cl.* Fourcroy *in* Annales de chimie T. VI. p. 181. T. VII. p. 154.) *nego.*

III.

a. *Problema Harueianum* (G. Harvey de generat. animal. Lond. 1651. p. 263.) *plane sufficiente ratione solui non posse videtur, quoniam facto falso innititur. Etenim recens nati denegata respiratione non subito necantur. (Cf.* Haller sur la formation du coeur etc. à Laus. 1758. Exp. 128. p. 343. — Senac traité de la structure du coeur. à Paris 1749. p. 413. — Haller elem. physiol. T. III. p. 314. — Buffon hist. naturelle T. II. à Par. 1749. p. 446.)

b. *Ideoque doctorum quorundam assertio, omnem respirationem nondum aut vix inceptam cohibitam ad infanticidia referri debere (Ill.* I. C. Koch Institut. iur. criminal. Edit. 8va. Ien. 1788. L. II. C. XXX. §. 466. — *b.* C. G. Ludwig Instit. med. forens. cura Bose. Lips. 1788. §. 263.) *magnam requirit moderationem.*

IV.

IV.

*Funiculi vmbilicalis deligatio intermissa ad infanticidium absolute referri nequit.*

V.

*Aut omnino non datur venenum, aut quoduis medicamentum ad venenorum classem pertinet.*

VI.

*Praecipua febrium gastricarum et dispositionis gastricae caussa in methodo medendi antigastrica quaerenda est.*

VII.

*De salute publica quam maxime mereretur princeps Germanus, qui in regni comitia vesanam istam inter opificium barbitonsorum et artem chirurgicam consociationem destrueret.*


VIII.

*Philosophia morum corporeae hominum conditionis rationem semper habeat, necesse est.*

---

## FIGVRAE EXPLICATIO.

A. Abdomen propensum, vmbilico carens.
B. Locus insertionis funiculi vmbilicalis.
C. Vesica vrinaria inuersa, eaque prolapsa.
DD. Locus vbi ex duabus papilliformibus vreterum aperturis vrina emanat.
EE. Tubercula duo longitudinalia (in delineatione non satis expressa).
F. Glans penis bifida.
G. Locus, vbi, si vesicam paululum remoueris, caput gallinaginis cernitur.
H. Praeputium.
I. Scrotum.
KK. Femora ob ossium pubis hiatum praeter naturam a se distantia.


A
B
C
E
E
D
K
K